Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Stypmann

Discursus Iuridicus Inauguralis De Minis Seu Comminationibus

Gryphiswaldiae: Doischerus, 1681

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0002
DFG

1. Marcov de jure auspicii apud Romanos.
2. Masoov de primatibus metropolitanis et reliquis episcopis eccle-
siae germanicae.
3 Marbach de jure deceptorum.
4. Struv de opificibus.
5. Struv de brachio saeculari.
6. Struv de jure socerorum
7. Habermann de ratificatione.
8. Frommann de jure variandi.
9. Panoug de poena adulterii ejusque indulgentia.
10. D'Autel de mutuo publico.
11. Bardili unicus testis nullus testis.
12. G. Engelbrecht de dotatione virginum nobilium in Pomerania.
13. Stypmann de minis seu comminationibus.
14. Marcov de verbis generalibus.
15. P. Müller de bene merito.
16. P. Müller de nova causa.
17. Werner de poenitentia.
18. Glaeser de libero arbitrio. reundum jus civile et canonicum
tam constituendo quam constituto.
19. Werner de auctionibus.
20. Roth de resignatione dominii judicialis.
21. P. Müller de evitatione majoris mali.
22. P. Müller de everticulo suspicionis.
23. Lyncker de vi legis in praeteritum.
24. Mehlbaum de delictis inprimis de furtis.
25. Rühle iniquitatis accusata jurisprudentia.
26. Bechmann de actorum publicorum auctoritate.
27. Schwendendörffer. de ultimis supplicijs.
28. Philippi jura circa cadavera humana.
29. P. Müller de praeoccupatione fati.
30. Bornius de eo quod justum est circa destinationem.
31. Mylius. de contractu libellario.
32. Münch de exceptione inhabilitatis contra advocatum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0003
DFG

33. Röder de prohibita rerum ecclesiasticarum alienatione.
34. Matthiae de denunciatione evangelica.
35. Strauss de obligatione patris familias in cujus aedibus incendium ortum.
36. P. Müller de praescriptione Saxonica.
37. Stryck de jure oblivionis.
38. Lyser de robbaria et vi bonorum raptorum.
39. Mylius. de libris mercatorum.
40. Romanus de varia injuriarum coercitione.
41. Linck de rubro nigro et albo.
42. Hahn de actionibus personalibus.
43. Brandt de legitima maleficos et sagas investigandi et convincendi ratione.
44. Ursinus de rationariis praefecturarum. Amtsbüchnerei.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0004
DFG

13.

DISCURSUS JURIDICUS INAUGURALIS DE MINIS Seu COMMINATIONIBUS,

HABITUS
à
CHRISTOPHORO STYPMANNO,
Dicast. Regii Advocato.

GRYPHISWALDIÆ
Impressus à MATTHÆO DOISCHERO Acad. Reg.
Typogr. Anno 1681.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0005
DFG

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo

DN. NICOLAO MICHAELIS,

J. U. D. & qvondam Academiæ Patriæ Professori Juris, nunc Civitatis hujus Camerario benè merito, & Dicasterii Regii Advocato celeberrimo.

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo atqve Consultissimo

DN. FRANCISCO ab Essen/

J. U. D. & Dicasterii Regalis in Pomerania Advocato celeberrimo & Practico dignissimo.

Dnn. Cognatis, Fautoribus & Amicis

ex benevolo animo in sinceræ amicitiæ tesseram consecrat & offert

AUTHOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0006
DFG

FELICITER!

PRÆLOQVIUM.

Etsi juxta sapientissimum Papiniani effatum hominis est hominem beneficio afficere L. servus 7. ff. de serv. exportand. L. 3. ff. de Just. & Jur. *malitia tamen hominum eò prob dolor! progressa est, ut multi reperiantur, qui vel ex invidia, vel mero odio aut nequitia, vix enim alia causa subesse potest, si non supprimere, insidiari tamen & vel minacibus gestibus ac verbis alteri metum & timorem incutere non vereantur, à quo non alieni sunt, qui ad Clavum sedent, quo corruptorũ affectuũ cupiditatibus expleantur, imò nec Clericalis ordo ab his pravis affectib⁹ immunis est, ut propterea mirandum non sit, si nec Laicus à Clero, nec servus ab Hero, nec subditus à Domino, filius à Patre, frater à fratre, nec hospes ab hospite, neque vicinus à vicino tutus sit; Exemplo satis luculento esse possunt varia & innumera diffidationum, duellorum, incendiorum, admenationum, scopelismorum, criminationum, concussionum, aliorumq;*

rumq; inde enatorum & per minas indictorum facinorum experimenta; Quare ex his perversorum hominum malis moribus optima Statuta & Constitutiones in Sacris Bibliis, jure communi Justinianeo, publicis Imperij Recessibus aliisq; particularibus Regnorum, Ditionum, Civitatumq; Legibus ac juribus pronata leguntur, ut inde quæ de commina-tionis natura in illis sancita reperire licuit, adhibitâ usus moderni praxi in compendium referre & per indicem demonstrare animum induxerim. Qui conatus ut feliciter cedat, DEUS Optimus Maximus benegnissimè faxit. Tibi verò, Humanissime Lector, eò gratior hic labor erit, quod materia sit quotidiana, seq; ipsam commendet. L. 1. ff. de in integr. restitut. *quæ autem de eâ hac in Synopsi congesta legeris, non ubique obvia venient, sed summo studio collecta esse; neque facilè, quantum mihi constat, ab alio plenius pertractata, deprehendes.*

I. N. J. C.

I. N. J. C.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
MINIS seu COMMINATIONIBUS.

CAPUT I.

De Minarum generali præcognitione, Primordium, Denominationem, Descriptionem & Divisiones explicante.

§. 1.



Protoplastis nostris primogenitus Cain per lapsum nunquam satis deplorandum pravas animi cupiditates supprimere non potuit, sed videns ac invidens fratris minoris Abelis victimas Jehovæ magis acceptas esse, vultus ejus erga fratrem conciderunt, i. e. ut Ovidius cecinit: *Et modo nescio quid similis crudele minanti Vultus erat.* Vel, ut hanc phrasin Hebraicam *Beatus Lutherus* explicat: Ad primum conspectum fratris oppalluit, minacibus oculis animum vindictæ cupiditate significavit, sicut è diverso textum *1. Corinth. 13. v. 5. non est vultuosa*, ita interpretatur: non contrahit frontem, non torvè inspicit, non minatur ore. *vid. Tom. 6. Witteberg. Latin. ad cap. 4. Genes. fol. m. 36. pag. versa.* Ne verò hic minitabundus, quod animo conceperat & gestibus si non etiam verbis indicaverat homicidium, consummaret, ipse DEUS φιλανθρωπως ipsum admonuit, ut desiste-

ret, unde factum, ut comprimeret diras & simulatè cum fratre colloquer tur, sed mox iterum incensus minas anteco itatas & propalatas tremendo fratricidio exequitur, quo primi minantis pessimo exemp o pauci edocti minas iquerunt; quod vel in Isaaci Patriarchæ primogenito Esavo manifestè apparet *Genes. 27 v. 41. & 42.* non minus enim hic quàm ille exsecrandas in fratrem secundogenitum Jacobum evomebat minas, & sanè eas in effectum duxisset, nisi prudentissima utriusque genetrix Rebecca his minacibus Esavi verbis percussa aliud consilium intentasset, & Jacobo, donec ira Esavi placata, in Mesopothamiam ire mandasset, de quo plenius Historia docet *Genes. cap. 27. & 28.* Ut silentio prætream Nimrodi, Hamanis aliorumq; minacium infinita in Sacris Literis annotata exempla, quibus abunde docemur, à primordio ad subsequentia & subsecutura secula maximum minacium chorum fuisse, nec defuturos minitatores, quid enim facilius vindictam attingit quàm minæ? quid verò magis placet, quàm vindictæ studium exercuisse? ast ne latrociniis exinde proventis licentia, qua omnes deteriores simus, daretur, opus fuit vindictam vindictâ compescere & minas minis reprimere, quod ut ulterius pateat, à minarum onomatologia initium faciam & porrò hanc materiam prosequi lubet.

Etymologia.

§. 2. Vocabulum Minæ, Germanicè Bedrowungen/ Betrohungen suâ natura est pluralis numeri & primitivum,

Synonymia.

Græcè ἀπειλη. Synonymis gaudet antiquo substantivo Minaciæ itidem pluralis numeri & Plauto familiare, ut notat *Calepin. voc. Minacie*, quod ut hodiè minus usitatum reperitur, ita frequentius usurpamus compositum Comminationes; primitivo vocab: utitur Seneca *in epist. 103.* ita eleganter scribens: Quam (sc. æternitatem) qui mente

te concipit, nullos horret exercitus, non terretur tubâ, nullis ad timorem *minæ* agitur. Minæ Clodii, contentionesq; modicè me angunt. *Cic. ad Attic.* Cœlestes *minæ* territabant. *Flor. 2. c. 8.* Minas intendere alicui. *Tacit.* Cicero fertur dixisse *Minatio*, quo actum comminandi Græcè ἀπειλητικὸς magis forte exprimere voluit, *vid. Calepin.* Cœterùm pro eo invaluit dicta vox *Comminatio*, uti apparet ex *rubric. & L. 1. C. Comminationes, Epistolas, Programmata, Subscriptiones, autoritatem rei judicatæ non habere. can. Commessationes. 1. distinct. 44.* ibi: Et si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminando vindictam futuram. Item dicuntur Interminationes, *vid. Bernhard. Zieritz. ad Const. Crimin. cap. 46.* & interminare idem significat sæpius quod objurgare, reprehendere, increpare, aut seriò vel additis minis præcipere, Græce ἀπειλέω. *vid. Matth. 12. vers. 16. Marc. 10. v. 48. Matth. 8. v. 26.* ubi minis interpositis sedatur tempestas. *Luc. 9. v. 21. vid. Georg. Pasoris Lex. ad Nov. Testam. voc. Τίω. vid. idem in voc. ἀπειλέω.* ubi demonstrat, *Interminationes* de gravissimis minis intelligi. Vulgò vocantur metus incussiones, mali denuntiationes. Hoc primitivum progenuit verbum *Minari*, i. e minas inferre, terrorem alicui incutere denuntiatione periculi, Græcè ἀπειλέω ἐπανατάσσομαι, ita Senec. *Epist. 91.* Nihilq; Rex magis *minari* male parentibus posset, quàm ut abirent è Regno, & in *epist. 104.* Tempestas minatur antequam surgat; pariter Ulpianus loquitur in *L. 23. §. 1. ff. quod met. caus.* si justo metu perterritus, cognitionem ad quam ut vinctus iret, potens adversarius *minabatur.* Et JCtus *Macer. in lib 1. public. judicior.* Concussionis crimen publicum non est, sed si ideò pecuniam accepit, quod crimen *minatus* sit, potest judicium publicum esse ex SCtis *L. 2. ff. de concussion.* ut & Frequentativum verbum *Minitari*, i. e. sæpe & impetuosè

minari, à quibus descendunt Adverbia, Minanter, Minaciter, i. e. jurgiosè & cum minis; minaciter fremunt, *Liv. lib. 2. Richter. de Adverb. signif. voc. Minaciter.* Vid. textus *in L. fin. ff. de hered. instituend. & L. 222. ff. de V. S.* Minitabiliter, quod est vetustum. Minitatio, quæ voces ejusdem significationis, quàm interminatio, interminare, &c.

Homonomia. §. 3. Minæ etiam audiunt eminentiæ murorum, quas Pinnas ἐπάλξεις vocat ex *Servio Calepinus.* Die Zinnen an den Mauren/ darauff man in die Weite schiessen kan/ und dem Feinde Schaden thun/ wo er sich nahe herbey machet. *Fab. in Lex. voc. Mina.* Hinc illud Virgilii 8. Æneid.

- - *Pendent opera interrupta minæq;*
Murorum ingentes.

Et Cuniculos seu foramina sub terram occulta ad suffodiendas urbes inventa, vulgò minare, minas facere, Minen machen/ Minen springen lassen/ *Calepin. voc. Cuniculus.* his enim pulvis tormentarius cum igne applicatur, ut ingenti cum fragore hostium propugnacula, aggeres, valla & mœnia uno impetu momentô diruat soloque æquet. Gall: une mine qv' on fait sous la terre, Germ: ein heimlich Gang unter der Erden/ de quibus *Flor. 1. cap. 12.* Non scalis nec irruptione, sed cuniculo & dolis subterraneis peractum urbis excidium. Conf. *Voss. de vitiis Lat. Sermon. & Glossemat. lib. 2. cap. 12. voce Minera. pag. m. 255.* Sic hodiè occupatâ urbe caveri solet, ut victi minas seu cuniculos sub ñde indicent. Sed Mina singularis numeri est origine vox Attica, significans libram tam ponderalem quàm numeralem seu numariam, ut notat *Didac Covarruv. tom. 1. oper. de veterum numismat. coll'at. cap. 4. n. 3.* Et hæc Attica sive Græca Mina etiam invaluit apud Romanos, sed tamen illa pluris quàm hæc, nam Romana 90 drachmis, Attica 100 dr: valuisse tradit *Covarruv. d. tract. cap. 2. n. 4.*

i. e.

i. e circiter centum denarios Romanos seu quadringentos sestertios, ut observant *Paulus Eberus & Casp. Peucerus in vocabulario rei numariæ, ponder. & mensurar. pag. m. 8.* ubi plura de vario minarum valore recensent. Hæc saltem addo de Attica Mina, quod illa fuerit ante septuaginta drachmar. Sed postea Solon ei centum drachmar. valorem constituerit, quo debitores alieno ære gravati citiùs liberarentur, quæ numismatis auctio solventibus plurimum utilitatis, detrimenti autem nihil accipientibus attulit, ut testis est *Plutarchus in vita Solonis à Lapo Florentino interpretata fol. m. 34. A.* His enim singulariter notatis conferri poterunt, quæ de minæ valore diverso ex aliis Autoribus collegere *Calvinus, Calepinus, Faber* & alii Lexicographi *voc. Mina.* An autem benè constitutæ Reipubl. talis nummorum auctio undique proficiat, jam non disquiram, cum à nostra materia aliena sit investigatio; vereor tamen, ne magis minas quàm otia excitet, quanquã necessitatis tempore ex duobus malis minus eligere haud detrectandum. *vid. ad hanc materiam Ernest. Cothman. vol. 5. Respons. 50. s. ult. Carpz. Jur. For. part. 2. const. 28. Redekeri disp. de nummi corruptione & reductione cap. 4. 5. & 6.* De Mina ponderali, quæ vel Medicorum & uncias 16. vel Italica & unc: 18. vel Alexandrina & unc: 20. pendet. *vid. Typum ponderum ad Discor. mentem ex Galeno ap. Matthioli in Comment. ad Dioscor. libb. Medic.* Mina etiam arcis nomen sive castrum Africæ in ora littorali Gvineæ Regionis cum portu capaci & oppidulo aliàs excitatum à Gallis, munitum à Lusitanis, expugnatum à Batavis. *vid. Hoffman. Lexic. univers. voc. Arx s. Georgij de Mina. item voc. Mina.*

§. 4. Ex ante dicta verborum explicatione poterit facilè colligi descriptio. Calvinus in suo Lexico Minas describit, quod sint metus incusiones, & ita ab effectu Descriptio.

eas depingit, à quo non recedit *Dn. Hoffman. in Lycurg. German. pag. m. 239. §. 10.* de minis scribendo: Diabolicum est vitium timorem alteri incutere & verè, ceu superius adducta exempla testantur; Horum autem vel aliorum nullum Satanæ instillationes sibi deditorum occultat; qua de re Divus Petrus à tali Satanico vitio & peccato mortali suos discipulos dehortatur & ad exemplum Christi mavult nos pati, quàm malis affectos minari *1. Pet. c. 2. v. 19. 20. & 23.* sed de hoc infr. plura. Poterunt & minæ ita describi: Sunt actus, quibus vel clam aut manifesto quis terretur, vel ad aliquid faciendum vel patiendum compellitur. Generis loco ponitur vocabulum *Actus*, quod indifferens & generale est, ut sive verbis sive re quid agatur sub se comprehendat *L. 58. ff. d. V. S. L. 7. ff. de minor.* reliquis verbis descriptionis differentia specifica cum suo modo & effectu adumbratur, non enim minæ sunt terror, metus, timor, sed cum incutiunt, & inter se differunt ceu causa efficiens à suo effectu; Vis compellit sive ea præsto sit, sive expectetur, sive appareat sive non; Vis autem uti cum vel absque injuria exercetur, ita Minæ vel jure vel injuriâ intentantur & incutiuntur, prout sequentia capita hoc prolixius suppeditabunt, priusquam verò eò accelleramus, pro vitanda confusione & faciliore cognitione, quoniam *Seneca* teste *epist. 89.* quid facilius agnoscitur, si discessit in partes, nonnullas distinctiones præmittam.

Divisio. §. 5. Dividimus ergo Minas (1) in *Cœlestes & Terrestres.* DEUS enim licet quotidiè minetur *Psal. 7. v. 12.* justus tamen ubique est Judex *d. v. 12.* & sic semper minæ illius venerandæ; In terris autem cum cor hominis non semper cogitet aut intendat, quæ justa sunt, sed viam Caini potius ambulet, fit, ut sicut aliæ hominis actiones

non

nonubique approbandæ, ita sigillatim minæ per se non injustæ, si in injuriam vertuntur, mala intentio eas punibiles reddit hæ iterum dispescendæ erunt. (2) In *Reales*, quæ vel *Capitales vel non Capitales L. 7. C. de his quæ vi metusv. caus. gest.* quarum illæ non jactationibus & contestationibus tantum, sed atrocitate facti probantur. *L. 9. C. d. t.* Doctores eas vocant *Hostiles*, dum quis per literas, signum aliudve factum extremam persecutionem vitæ, sangvinis & bonorum, unde pax publica violatur & toti populo vel universitati periculum imminet, & *Verbales s. nudas*, ubi quis non adhibitis signis, literis aut facto, sed nudis verbis minatur. *Dn. Mev. ad Jus Lub. lib. 4. tit. 16. art. 4. n. 1. & 10.* quæ etiam quasi reales injuriæ vocantur. *Loccen. in collat. Jur. Civ. & Sved. ad methsd. Inst. exercit. 9. θ 45.* quod enim reapse præstari nequit & attentatur, id satis injuriæ est & meritò voluntas pro facto recipienda. (3) *Aliæ puræ, aliæ conditionatæ* seu sub certa conditione prolatæ, ita ut conditione impleta cesare debeat effectus. (4) Aliæ sunt *veræ*, aliæ *simulatæ*, quæ ad correctionem malæ mentis & perversi consilii emendationem Panicum incutiunt terrorem (5) Aliæ *seriæ*, aliæ *jocosæ*, quas Paulus *in L. 4. pr. ff. si cui plus quam per L. Falcid. licuerit Legat esse dicat.* vocat *Lusorias minas*, quæ cum *simulatis* potissimum coincidunt, quod utræque varium incutiant timorem, differunt autem in eo, quod simulatæ si non semper plerumq; tamen astutiam & fraudem, quæ à lusu & joco plurimum absunt, secum ferant. (6) Aliæ *cum elogio jurato* probatæ, aliæ *sine juramento* proditæ, sic Isabel minaciter jurabat Eliæ internecionem *1. Reg. 19. v. 2.* die Götter thuen mir dieß und das / wo ich nicht Morgen umb diese Zeit deiner Seelen thue / wie dieser Seelen eine. Denique (7) addo Baldi Trichotomiam, quâ alias sine dolo, alias cum parvo dolo,

alias

alias cum manifesto dolo atrocitatem delicti in se habentes tradit *consil. 143. n. 4.* quem ita laudat & sequitur *Cardinal. Tuschius practicar. conclus. lit. M. concl. 236. n. 2.* Possem & alias species pro diversitate subjecti & modi enumerare, sed has ipsa tractatio suggeret.

CAPUT II.

DE MINITATORIBUS.

§. 1.

QVanquam DEUS O. Max. ob corruptam hominis naturam quotidiè minetur; hæc tamen Zelotis actio, nostra erit institutio, non itidem imitatio, nemo enim nostrum suos motus ita in potestate habet, ut faciat, quæ DEO placeant, minæ autem iræ signum sunt; cavendum ergo ne ita irati peccemus; Si peccatum cavemus, minari erit placitum DEI, & sic non Jehovæ Mystis seu Sacerdotibus, neque Vicariis DEI, qui etiam Dii vocantur, sed tamen morti obnoxii & subjecti, uti appellantur Magistratus *Psalm. 82. v. 6. & 7. conf. Exod. 21. v. 6. & Joban. 10. v. 34. & 35.* nec Dominis aliisq; Majoribus minari interdictum, sed potius præceptum, saltem modum teneant, & recordentur, semetipsos Summi Minitantis potestati subditos esse, plenius ut hæc cognoscamus, suo ordine consideravimus personas minantes.

§. 2. DEUS Opt. Max. non solùm in Sacris Literis minatus est peccatoribus, easq; comminationes suis Apostolis eorumq; successoribus mundo annunciare præcepit, sed simul pœnam æternæ damnationis si illas omitterent, substituit. *Ezech. cap. 3. v. 17. & seqq. 2. Timoth. c 4. v. 2.* Imò si ab ipsius dispensatoribus hoc negligatur aut satis actum contemnatur, ne incauti patiamur per singu-

laria

laria cœlorum, nempe Ventorum, Comœtarum & Lunæ ac Solis obscurationes tum terrarū signa velut frequentem abortum, sterilitatem, &c. satis seriò minatur, vix n. pœna per ea prædicta remittitur, sed initium ejus præbent. Quod etiam Ethnicus sub nomine Melibei apud Maronem *in Ecclog: 1.* non inconsideratè proposuit, inquiens:

Sœpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus,
Sœpe sinistra cavâ prædixit ab ilice cornix.

Et mirandum, DEUM O. Max. suarum minarum initium à metus incussione facere, prout videre est *Levit. 26. v. 14. 15. 16. & multis seqq. add. Deuteron. 28. v. 15. 16. & seqq.* Quilibet fidelis Præco minas DEI proclamando suam liberat animam, nec cuiquam facit injuriam scapham appellando scapham. Cavebit tamen, ne irâ percitus aut verâ scientiâ seu ἐπίγνωσι carens, quod Divus Lutherus ita reddit, mit Unverstand eyfern / injuriam inferat. *vid. ad Roman. cap. 10. v. 2. & seqq.* Sic Divus Paulus ante suam conversionem ἐ κατ' ἐπίγνωσιν minabatur *Actor. 9. v. 1.* Ast durum erat ei contra stimulum calcitrare, *Act. 9. v. 5.* Ministerium (quod tamen citra injuriam cujusvis dictum volo) sæpe fit velum vindictæ; sed cavebunt illi, ne & ignorantes delictum contrahant. *vid. L. 1. ff. d. LL. Wisenb. ad ff. vol. 1. disp. 4. th. 8. add. Zas. ad d. l. ff. d. LL. n. 5. & ad L. 2. ff. eod. n. 8. Andr. Gail. lib. 2. obs. 48.* Non possum intermittere, quin afferam, quæ Divus Augustinus ad Aurelium scripsit & relatum *in can. commessationes 1. distinct. 44.* verba sunt hæc: *Non ergò asperè quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo, quàm jubendo, magis monendo, quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine peccantium: Severitas autem exercenda est in peccata paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de scripturis comminan-*

minando vindictam futuram ne nos ipsi in nostra potestate, sed DEUS *in nostro sermone timeatur, &c.* Non hîc speciem aliquam attingo, sed quæ modò occurrunt, recito, quod solenniter caveo.

§. 3. A vicariis DEI gladium non frustra ferentibus; ut Apostolus ait *ad Roman. 13. v. 4.* minas exaudiri quotidiè fere accidit, & jure licito sive jure honoris, quem sustinet Magistratus, ceu Ulp. loquitur *in L. continet 3. §. 1. ff. quod met. caus.* In Criminalibus, ut ab his initium faciam, si veritas non facilè indagari poterit, minis judicialibus & territionibus verbalibus adhibitis de crimine suspectus jure licito à Judice & Assessoribus seriò & minaciter interrogari debet, ut prudentissimus Criminalium Nomotheta Carolus V. *in Const. Crim. art. 46 ibi:* Wann man den Gefangenen peinlich fragen will / von Ampts wegen / oder auff Ansuchung des Klägers / soll derselbige zuvor / in Gegenwertigkeit des Richters / zweyer des Gerichts und Gerichtschreibers / fleißiglich zu Rede gehalten / mit Worten / die nach Gelegenheit der Personen und Sachen zu weiter Erfahrung der übelthat oder Argwonigkeit allerbest dienen mögen / auch mit Bedräuung der Marter befragt werden / &c. Cui respondet rubrica à *Matth. Steph.* relata: *de Reo prius interrogando de crimine commisso, cum comminatione &c.* & hoc *in artic. 184.* postea repetitum. *adde Fuchard. vol. 1. consil. 115. Hoffman. Lycurgum Romano-German. cap. 46. n. 12.* & ad hunc modum JCtorum Collegia communiter & juste respondent. Sic Amplissima Facultas Juridica in Academia Patria ut hodie sæpius, ita olim respondit: Daß solch auffgenommen Gezeugniß unterschiedlich und ein jeder / was wider ihn gezeuget / insonderheit fürzulesen / eines jeden Bericht mit Fleiß darauff zu hören / imfall sie dann nicht die Warheit bekennen wollen / mag N. N. mit Gegenwart des Frohnen und seiner Instrumenten

seine

seine Wissenschafft außzusagen bedrawet werden / wann solches geschehen / ergehet ferner darauff / was sich zu Rechte gebühret. Urkundlich den 24. *Decembr.* 1584. Similiter in alia causa Anno 15 6. den 2. Martii Senatui Demminensi respondit: Daß Zacharias Engelsche in Gegenwertigkeit des Scharffrichters *adhibitis instrumentis* mit Bedrohung der *Tortur* zu Erkundigung der Warheit ꝛc. soll befraget werden / ꝛc. Et Senatui Wolgastensi d. 2. Maji ejusdem anni responsum fuit: Und da sie dieselbige nicht würde gestehen / soll alßdann gegen einander Mutter und Tochter *confrontiret* werden / und imfall Ilsabe Bahlen beharlich auff verleugnen beruhen würde / soll sie mit Bedrohung der *Tortur adhibitis instrumentis* befraget werden / ꝛc Et Anno 1586. den 13. Julii: Letzlich anlangend die Kopsche / weiln gegen derselben noch zur Zeit nicht genugsahme Anzeigung zur *Tortur* außgeführet / soll dieselbe in Gegenwart des Scharffrichters mit Auffsetzung der Daumschrauben andräuslich befraget werden. A. V. R. W. Ex quibus Responsis varii Comminationũ gradus satis elici possunt; plura accumulare supersedeo: Ratio hujus licentiæ est in eo posita, quod omnia tentanda, quo veritas suaviori (dicerem leniori) modo extorqueatur, & quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod est minimum. *L quoties 200 ff. de R. J. post Zoeritz. Casp. Manz. in Comment. suo rationali ad predict. art. 46. n. 7.* Quando autem ejusmodi minæ sint torturæ species, non pro lubitu, sed tum demum adhibendę, si ex Responsis inquisiti aut aliis indiciis suspicio crescat, de quo *Manz in singul. voce Periculum quodvis. p. 266. n. 18.* & verba præcitati articuli satis manifesta; Attamen hujusmodi comminationes multo cum discrimine adhibendæ & maximè cavebit Judex, ne simplices iis confundat & non cogitata eliciat, quæ mens Imperatoris omninò fuit, ut apparet ex *art. 47.* ubi simpliciori-

bus consulit & defensionis modum suppeditat *ibi*: Und solche Erinnerung ist darumb noth / daß mancher auß Einfalt oder Schrecken nicht fürzuschlagen weiß / ob er gleich unschuldig ist / wie er sich des entschuldigen und außführen soll / nam minores, mulieres & similes ob imbecillitatem intellectus minis facilius flectuntur & decipiuntur. *Hieron. Panschman. part. 2. quæst. 5. n. 6. confer. Just. Oldecop. cautel. criminal. tit. 4. caut. 19. n. 7. & seqq. add. Flor. lib. 3. cap. 16. Benekendorff. ad L. 2. ff. de R. J.* Similiter & in causis civilibus videntur minæ vel comminationes Judicis prohibitæ & ideò si interpositæ sint, vim rei judicatæ haut habere debent, quemadmodum constat *ex rubric. L. 1. 4. & 6. C. Comminationes, Epistolas, Programmata, &c.* Sed quare hoc? ideò ut Judicum comminandi libido coerceatur, & injuria aburbium Præsidibus metuenda præcaveatur. Nam ut Ulpianus *in d. l. 3. ff. quod met. caus.* ex Pomponio refert: Si per injuriam quid fecit populi Romani Magistratus vel Provinciæ Præses, hoc Edictum (quod metus causa) locum habet; imò si odio aut inimicitiâ commotus minas dicat Judex quo præjudicet modò ut suspectus, recusari poterit. *Maranta in specul. judiciario tit. de Appellat. act. 2. n. 49. p. m. 395. col. 1.* & insuper injuriarum conveniri, nam quando Magistratus suâ potestate abutitur, injuriam infert, & amittit sanctimoniam, quod officium ei tribuit *Menoch. l. 2. p æsumpt. 67. n. 16.* & idcirco privati instar habetur, *vid. Dn. Mev. part. 4. dec. 369. n. 2. & 3.* in qua decisione de injuriosa executione & quatenus ei & post eam factis de facto resisti possit. Verùm, ut indicavimus, hæc omnia de injusto vel corrupto Judice dicta sunto: Hic enim, si jure sæpius condemnare nequit, minis & comminationibus authoritatem suam firmare studet, *ut egregium & illustre exemplum Actor. 4. v. 17. & 21.* nos ulterius docet.

docet. Quare etiam à Dd. traditum: mandatum pœnale, quod de jure non valet, resolvi in comminationem & pœnam ipso jure non infligendam. *Tusch. pract. conclus. lit. C. concl. 477. n. 2.* Si verò Judex ad minandum invitetur, quare non æquè minatoria, quàm cætera decreta vim rei judicatæ habere debeant; authoritas ipsius esset nulla & lites fierent immortales, si non minari liceret, aut minas exequi prohiberetur? Magis itaque Judicum comminationes in absentes & contumaciter comparere detrectantes probantur *in L. 2. & L. consentaneum 8. C. quomod. & quand. Judex sentent. profer. deb. præsent. part. vel unà part. abs.* quod in subjecta *Authent: Qui semel. C. eod. tit. ex Nov. 112. c. 3.* desumpta confirmatur. Ideò Judici injunctum, & quod minari debeat præscriptum *in L. 6. & 8. ff. de option. legat.* Sic comminatoria formula: Es soll nichtes desto weniger geschehen und ergehen / was recht ist / habet vim peremptoriæ citationis *per L. 2. C. d. t. quom. & quand. Judex. Parthen. Litigios. lib. 2. cap. 13. n. 16. add. Guid. Papa singular. 579. Dn. Mev. part. 1. decis. 134. de quibus pluribus infra.*

§. 14. Etsi autem Magistratus minas sæpè prohibeant, Officiales & Ministri eorum tamen contra audent, & authoritate judiciali freti minacibus verbis & gestibus mandata Judicum exequuntur, vel vetito ac temerario ausu exactionem audent. *L. 3. C. de execut. & exact.* quod uti non tolerandum. *L. Divus Hadrianus 6. in fin. ff. de custod. & exhibit. reor.* nec injurias inultas transire permittendum *L. 2. in fin. C. de lucris Advocatorum & concussion. officior. seu apparitor. lib. 12. tit. antepen.* ita magis præcavendum, ne quivis ad Judicum ministeria adsciscatur, sed tales, qui cordati & recti sunt animi nec minis præter necessitatem compellant, ne injuriâ afficiantur, qui jure coërceri debent. *vid. Aym. Cravett. part. 3. consil. 461. n. 23.* Quod si non

certè appareant conteſtatæ metus incuſſiones, etſi aliàs nudæ metus conteſtationes non ſufficiant, (metum enim non jactationibus vel conteſtationibus, ſed atrocitate facti probari convenit. *L. 9. C. de his quæ vi metusv.* de quo & infra;) in officialibus præſumuntur *per L. ſi per impreſſionem 11. C. de his quæ vi met. Vital. Cambano in tract. clauſular. ſummar. 75. pag.m. 290. n. 1. ſeqq.* quod ſingulare tamen non in omnibus Officialibus, ſed in vilioribus locum invenit. *Idem d. l.* Et hæc quoque fuit ratio, quare Imperator in *Nov. 8. c. 13.* Latrunculatores &c. inhibuerit, & ipſis Judicibus inquirendi præceptum dederit. *vid. Matth. Stephani ad d. Nov. 8. num. 18.*

§. 5. Hactenus de Eccleſiaſticis & judicialibus perſonis; Militares quod attinet, hi propter minas plurimum ſunt odioſi, nam militaris terror infert formidinem *L. 1. C. de executorib. & exactor.* ut quivis paganus eos propterea ſuscipere fugiat, & qui ab his ad malefaciendum compulſus juſto metu percitus cenſetur. *Vid Dn. Tabor. Conſultat. de act. furti ope & conſil. n. 24. racemat. crimin. 4 pag. 153.* Vituperandæ ſunt minæ, ſi innocentibus paganis applicentur, quo nihil hodie frequentius ferè accidit. Sibimetipſis quoque minantur milites, & tunc vel adverſus ſupremos præfectos vel inferiores. De primo caſu agit des H. Röm: Reichs Reuter-Beſtallung *artic. 53. ibi:* Item wo einer oder mehr ſich mit wehrhaffter Hand gegen den Feld-Obriſten oder Feld-Marſchalck einlaſſen würden/ die ſollen darumb an Leib/ Ehr und Guth nach Erkäntniß der Reuter-Rechtens geſtraffet werden. *Confer* Königl. Schwediſchen Articuls-Brieff *tit 4. art. 23. & 24.* De poſteriori tractatur in des H. Röm: Reichs Reut: Beſtall: *artic. 29. ibi:* Es ſoll kein Knecht ſeinen Herrn oder Junckern muhtwillig trotzen/ noch ſich ihm wiederſetzig machen/ viel weniger eine Büchſen oder

Wehr

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0022
DFG

Wehr über ihm zucken bey Leibes Straffe/ quæ ultima verba pœnam corporis afflictivam non capitalem denotant *Dn. Tabor tract. de admenation. th. 24.* quæ ne quidem priori casu simpliciter dictatur. *Besold. thesaur. pract. verb:* Leib und Lebens Straff. Convenit hæc distinctio dem Kön: Schwed: Articuls-Brieff *tit. 4. art. 29. ibi:* Mit den Unter-Officirern/ alß Feldwebeln/ Sergeanten/ Führern/ Furierern/ Rustmeistern/ Corporal und Rottmeistern/ soll es also gehalten werden: Welche Reuter und Knechte dieselben schmähen/ sich ihres Ampts Commando entgegen setzen/ und sie mit der Faust zu schlagen bedrohen/ auch dessen gnugsam überwiesen wären/ die sollen die Fäuste verlieren und auß dem Lager verjaget: geschiehet es aber im Felde/ wann man gegen den Feind ziehet/ oder in einem festen Läger/ so mit der Wacht besetzet ist/ am Leben gestraffet werden/ *uti refert Dn. Tabor d. l.* Laudandæ autem minæ militum, si hosti opponuntur; facilè enim famam, quâ bella constare dicuntur, excitant. Quapropter adhuc hodie laudandus imò imitandus inclytus ille Metellus, qui, referente Floro *lib. 3. cap. 1.* hostem suum callidissimè, nunc precibus, nunc minis, jam simulatâ quasi fugâ eludentem artibus suis aggressus est. Sed contra & ille miles evehendus est, qui has minas spernit, sicut *Constantius Cæsar, Saporis Regis* Armeniæ ac Mesopotamiæ restitutionem à Constantio postulantis & neganti bellum indicentis; dum ipsius eructatas minas vel hoc modo retorquebat: *Accipe veritatem non obtectam præstigiis, sed perspicuam nullisq; minis inanibus perterrendam. vid. Jacob. Le-bleu Cærologia pag. 69 & 72.* ubi ex Marcellino Saporis Regis literas & Constantii Cæsaris Responsorias verbotenus refert, & tandem aliud exemplum ex Gramondo annectit, ubi Bukingamus Anglicanæ classis *Architalassus*, arcis Martinianæ Præfectum Toyrasium Gallum virum

fortem

fortem & prudentem ad deditionem commovere conatus est, sed irrito successu, uti ex Toyrassii responsione liquet. *pag. 77.*

§. 6. Familiaribus personis quoque minandi licentia solet esse quotidiana. Ex ordine imperantium qui sunt veluti Domini, Parentes, Tutores, Mariti, &c. recordentur moniti Pauli *ad Ephes. cap. 6. v. 9.* exigentis, ut Domini remittant minas, scituri quod & ipsorum Dominus sit in cœlis, nec personæ respectus apud ipsum; In hoc solum liberius minari prohibitum non esse plurimi, malè tamen, sibi imaginantur, & hinc irascendo suâ abutuntur potestate, non recordantes, quod in pietate eorum potestas consistere debeat. *L. 5. ff. de parricid.* sed ubi pietas! malæ minæ, quæ sæpè ad malefaciendum compellunt, sunt plurimum frequentiores, sed in malefaciendis, si minus obtemperant subjecti non peccant contra quartum præceptum, etenim hoc in bonis, non item malis adstrinxit Parentibus ad obediendum. Quod enim contra bonos mores currit, non obligat. *cap. non est obligatorium 58. de R. J. in 6to. cap. in malis promissis 69. eod. Thomas de Thomasellis reg. 167.* Imò præterea quod hoc vel simili casu parendi necessitas cesset, injustè minantes condignis afficiendi erunt pœnis; & si minis insultati ad obligandum compelluntur, conqverendi facultatem habebunt & liberabuntur. *Vide de hoc prolixius Johan. Petr. Fontanellam de pactis nuptialib. Tom. 2. claus. 17. gloss. 2. part. 5. n. 66. seqq. pag. m. 434. Bertazol. lib. 2. consil. 434. n. 26.* His tamen minimè sublatas volo modicas & quæ ad reverentiam tum obedientiam aut correctionem proferuntur, ubi enim non est timor, nec ibi est honor, & cum modica castigatio his concedatur. *L. 5. in fin. ad L. Aquil. L. 15. §. 38. ff. de injur. ibiq; Gothofred. add. Mev. ad Jus L. lib. 1. tit. 3. n. 57. & lib. 2. tit. 2. art. 12. n. 439.*

n. 439. cur non etiam comminatio ut castigationis modicæ species seu hortatio castigationi præmissa locum habebit?

§. 7. Quando imperantibus interdicta minandi libido, multò magis prohibita erit iis, qui istis subditi sunt, nam hi ad pietatem, reverentiam & obedientiam erga illos sunt nati & dati. *L. 2. ff. de Just. & Jur.* ita ut persona Patris, Præceptoris & Domini semper honesta & sancta sit liberis, discipulis & servis. *tot. tit. & præcipuè L. 9. ff. de obsequ. Parent. & Patron. præstand.* Etiamsi Parentes, Patroni, &c. vilioris sint conditionis, quàm hi, tamen parendi gloria ipsis est relicta & semper, sc. in licitis & non prohibitis, honesta & sancta eorum persona ipsis videri debet. *d. L. 9. ff. de obsequ. conf. supr. §. 5. h. cap.*

§. 8. Similiter & cæteris non recensitis personis territiones & minarum illationes severissimè sunt vetitæ, ut apparet *ex L. ult. §. si justo metu perterritus. 1. ff. quod met. caus.* ideoq; Provinciarum Præsidibus & Rectoribus imò quibusvis Magistratibus seriò demandatum injustè Minantes coërcere & punire. *vid. celebris textus L. illicitas. 6. §. ne potentiores 2. ff. de offic. Præsid. & tot. tit. de executor. & exact. & L. 2. C. de indictionib. in fin. ibi: & officiis inferendi damna licentia denegetur.* Sed de his jam amplius disserere desino, & quæ adferri hic possent, in seqq. capp. recensebuntur.

CAPUT III.

De Personis, quibus minæ indictæ & denunciatæ sunt.

§. 1.

Cùm Correlativorum eadem sit natùra & indoles *L. fin. C. de indict. viduitat. tollend. Carpz. pr. Crim. part. 1. quæst. 13. n. 24.*

n. 24. ita ut uno ex his posito & cognito positum quoq; sit & alterum, exindeq; cognosci facilè possit. *juxta princ. Instit. de his qvæ sui vel alien. jur. add. Guid. Pap. singulari 190. & Hyppol. de Marsil. singular. 389. Carpz. d. part. 1. qvæst. 37. n. 47.* ex ante tradita minantium natura & qualitate, etiam eorum, qui minis perterreri possunt, qualitates facilè colligi possunt, ita ut in horum recensitione non multum operæ perdere necesse habeam, sed hos ut illos dico vel Ecclesiasticos vel Seculares, & hos vel Magistratus eorumque Ministros vel Milites, vel Familiares, vel alios extra hos seu Extraneos. Certè in his omninò considerandum, cujus sint status & dignitatis, sexus & ætatis, prout enim unus præ altero est sanctior & dignior; ita minarum incussio vel gravior vel mitior; velut de minis Principi dictis confirmat *Giesebert. in pericul. Statutor. art. 3. n. 61. ad n. 69.* Item unus præ altero est meticulosior & facilius minis confunditur, alius contra firmior & audentior est, nec facilè terreri, potest. *vid. Martin. Dobbertinus in Repertor. jur. voc. Minæ.*

§. 2. Egregium & singulare ad hæc adfert exemplum *Dn. Carpz. in pr. crimin. part. 1. qv. 37. n. 93.* de milite, qui ob minas contra Illustrem personam ejectas in arce Rochlizensi, in carcere, donec usque moreretur, detentus fuit, & meritò; gravior enim est injuria, si Illustris persona, aut huic similis vel alia in dignitate aut officio publico constituta, ut Magistratus, Consul, Doctor, Sacerdos, Judex, aut ejus Officiales (uti sunt Lictores aut cohors Prætoris, &c.) *arg. L. 4. C. de injur. L. si qvis in hoc. 10. C. de Episc. & Cleric. §. atrox. Inst. de injuriis.* quam si cerdo & bajulus aut alius infimæ sortis homo minis terreatur. *vid. Hieron. Schurff. centur. 3. consil. 99. Hillig. in Donell. lib. 14. cap. 27. lit. B.* Similiter si Universitati vel Civitati minæ dican-

dicuntur, (quæ in ſpecie Diffidationes audiunt) plus rigoris minanti exhibendum, quàm ſi factæ ſint ſingulis, ut ſeqq. docebunt.

§. 3. Minis inſultatum accipimus non tantùm eum, in cujus perſonam aut bona, ut ædes, prædia, emiſſæ ſunt minæ, ſed etiam illum, qui alterum in ſua poteſtate habet, tum quia juxta effatum Pauli JCti, nihil intereſt in ſe, quis veritus ſit, an in liberis ſuis, cum pro affectu Parentes magis in liberis terreantur. *L. 8. §. ult. ff. quod met. cauſa. ibiq; Dioniſ. Gothofred. add. §. ult. Inſtit. de noxalib. action. Aymon. Cravett. part. 3. conſ. 461. n. 6.* Similiter, ſi fiat in Sororibus. *Thom. Grammat. deciſ. 5. n. 9. à Bertazol. in conſil. crim. 434. ad hoc allegatus.* nec minus in ſponſis, nam injuria ſponſæ facta ad ſponſum quoque pertinet. *L. item apud. 15. §. 24. ff. de injur. Schneidw. ad §. patitur. 2. Inſtit. de injur. n. 10.* tum quod intuitu eorum, qui eos ſibi ſubditos habent, effutiantur, & ſic in poteſtati alicujus ſubjectis multum læ datur exiſtimatio. *L. 1. §. 4. ſeq. ff. de injur. L. 15. §. 35. ff. eod. tit.* metuendum etiam ne minis perterritis tantùm, ſed quoque ipſorum defenſoribus & Patronis aliquid calamitoſi, ſicut menatum eſt, inferatur. *adu. §. patitur. 2. Inſtit. de injur. & L. 2. C. eod.*

§. 4. De Domino feudi minis inſultato pauca ſubjiciam. Dominus feudi ſanctiſsimè colendus, *nec enim quàm humiliter, quàm devotè, quàm fideliter erga Dominum ſuum debeat ſe habere potius ex naturalibus & bonis Curiarũ conſvetudinibus poteſt percipi, quàm lege aut ſcripto aliquo poſſit comprehendi,* reſcripſit Obertus de Orto filio ſuo Anshelmo *2. Feud. 23.* Quod cum ita ſit, eò gravius peccabit vaſallus minitator & ut infidelis beneficio ſuo ceu ingratus exuetur, ut non obſcurè apparet *ex 2. Feud. 57. quot teſtes ſunt neceſſariꝝ, & 2. ibi:* ſi vaſallus inhoneſtis factis atque indecenti-

bus machinationibus dominum suum offenderit, insidiisq; eum clandestinis vel manifestis appetiverit, &c. & licet *2. Feud. 24. §. 2. quæ fuit prim. caus. benef. amitt.* minarum in specie nulla facta mentio, tamen ibi sub generali vocabulo: *vel alias graves vel inhonestas injurias intulerit.* satis sunt comprehensæ; ideò propter minas Domino feudi factas injuriam committit. *Jul. Clar. in §. injuria. n. 1. vers. si quis alteri minatus fuerit* & ex solis minis capitalis inducitur inimicitia, *post alios Wesenb. consil. 305. n. 3.* modò tamen minæ sint hostili animo proditæ, atroces vel reales, aliàs facilius veniam merebuntur, uti post *Crabett. cons. 6. in pr. num. 100.* probat *Wesenbec. d. consil. n. 82. & seqq.* non enim ex omni causa, ex qua opinio vasalli gravatur beneficium amittitur. *d. 2. Feud. 24. §. 2. in fin.* Ex quo textu porrò elicitur, sicut Vasallus Domino minari prohibetur, ita similiter comminationes ab aliis exauditas celare; nam si vasallus ab aliis emissas in Dominum esse minas resciverit, & non indicaverit aut revelare intermiserit, pari pœnâ dignus judicatur. *d. c. 24. vers. Preterea si vasallus resciverit.* participem enim se fecit alterius delicti non contradicendo aut inhibendo ut videatur approbasse, tacendo, quod revelando si non inhibere & impedire, tamen detestari seq; omni culpâ exuere potuisset. Si ergo vasallus minatur de interficiendo aliudve grave malum inferendo, causam privatione dignam Dominus habet. *Rosenthal. de feud. cap. 10. conclus. 17. n. 20.* quod tamen *n. 22.* ita limitat: nisi revocaverit & pœnitentiam suam Domino factis aut verbis declaraverit *d. l.* Sin verò Dominus feudi stricto gladio minaretur vasallo illeq; solitus esset exequi, imò jam in actu proximo esset vasallus, donec Dominus prior percutiat expectare necesse non habet, sed Principem lædens excusatur. *Matth. de Afflict. in cap. 1. §. porro. n. 8.*

qua

quæ fuit prim. caus. benef. amitt. Schrad. de feud. cap. 4. n. 6. Rosenth. d. cap. 10. concl. 20. n. 34. ibiq; lit. mm.

§. 5. Cæterum qui minantur plerumque sunt imbecilliores & probi, vix enim nisi pessimus & deperditus sit homo infirmior aut inferior minas evomet in potentiorem aut robustiorem; nec etiam probis conveniunt comminationes, sed tantùm improbi Minitatores dicuntur. *vid. Psalm. 37. v. 12.* Impius minatur justo. Sodomithæ Lotho. *Genes. cap. 19. v. 9. & 10.* Similiter Apostolis à Pharisæis & Scribis minæ sunt indictæ, ne ulterius miraculis suis JESUM Nazarenum de mortuis resuscitatum deprædicarent *Actor. 4. v. 17. & 21.* Manifestæ quoque sunt minæ atrocissimæ pietate præcellenti laudatissimoque Principi ac Regi Israelitarum Hiskiæ ab Assyriorum Rege Sacherib ejusq; Emissario Rabsake denuntiatæ, de quibus *Esaias cap. 36. 2. Reg. 18.* quarum tamen effectum Piissimus precibus de se & populo Judaico imitando exemplo avertit. Queis præter alia subjungi possunt horrendæ comminationũ liceræ à Veltmanno & Volckmaro Turcarum Imperatoribus crudelissimis ad Germanorum Impp. Maximilianum ejusq; Successorem Anno 1564. & 1576. conscriptæ, quas consignavit Goldastus in den Politischen Reichs Händeln *part. 15. pag. 535.* & ex hoc Jacob Le-bleu in Cærologia sua pag. m. 79. & seqq. ubi non absque stupore legi poterunt. Sed sciant hi, verum esse & aliquando ipsos experturos, quod jam olim Seneca effatus est: *Quicquid à vobis minor expavescit, Major hoc vobis Dominus minatur.* add. *Luc. cap. 6. v. 37. Gothofr. in not. ad L. rem non novam 14. C. de judic.*

§. 6. Civitati vel Universitati si minæ dicuntur, hæ minæ propriè tales non sunt, vel non dicuntur minæ Bedräwungen/ sed diffidationes Befehdunge/quæ singularem

constituunt speciem & ab illis differunt, ut infra latius dicendum. *vid. Rumelin. ad Aur. Bull. part. 2. dissert. 6. th. 7. ibiq; Nicol. Myler. in addit. cum allegatis.* attamen si civitatibus minæ quidem dicuntur, sed hæ haud facilè ad effectum deduci vel de via juris interpretari possint, non diffidationes fiunt, sed minæ proprie manent, ad quod non possum non addere exemplum & præjudicium, quod habet *Pruckmann. vol. 2. consil. 10. n. 36. & 37.* ubi considerata personarum, quibus minæ dictæ sunt, qualitate, satis tamen præminantium injuriis securarum mandata de non offendendo non fuerunt decreta in causa Senatus Stadensis contra aliquem ab Alfelden; quia verba ejus minatoria (da man ihm nicht verhoffen werde seyn / daß er andere gebührende Wege für die Hand nehmen wolle) de vindicta juris accepta leguntur. *Prückman. d. l.* de qua plenius infra.

CAPUT IV.

De Minarum Forma seu variis minandi modis, eorumq; requisitis.

§. 1.

FOrma & qualitas minarum ante omnia benè perscrutanda, nam si non probè discernitur, nec rectum de iis institui poterit judicium; Quæ DEUS ejusq; Præcones fideles minantur juxta revelatum verbum sacrum prædicant, etiam minacibus verbis justissima sunt; sed juxta revelatum verbum DEI dico, non ex pravis affectibus; priori enim modo id tantùm præcepit suo Timotheo in secunda ad ipsum scripta Epistola *cap. 4. v. 2.* de quo & supra *cap. 2. §. 2.* posteriori modo non solùm peccant in DEUM, sed & delinqvunt in proximum, nec præcitato Apostoli præcepto se quaqua ratione tueri, sed injuriarum

pro

pro re nata conveniri poterunt, ideò quod malevolo animo diras evomunt, & ita menatum universo cætu Ecclesiastico prostituunt & famam ejus increpant & lædunt, vel ut in *c. odio distinct. 86.* dicitur; Odio habeantur peccata non homines, &c. & quod in peccatis severius castigari oportet non sævientis plectatur animo, sed medentis.

§. 2. Cœterùm comminationes cum *Dn. Müllero in practica civili Marchica resolut. III. n. 7.* dico esse vel *juris* vel *facti*, quæ *juris* esse dicuntur, nullus facilè improbare poterit, equidem nihil injusti vel iniqui importare præsumuntur, sed viam juris indicare, & vel *obliquè* hæ sunt conceptæ, veluti si quis dicat: Ich wils eyfern / ich wils rächen / ich will dirs gedencken / es soll dir übel bekommen / quas formulas notat *Müller. d. l. & ab ipso allegati Mev. & Carpzov.* vel *directè*, ich will dir den Richter über den Halß schicken / seu ich will dir wol einen Tantz in die Gerichte machen; ich will dir roth Wachs zusenden. Quæ & similia in bonã partem quoq; solent accipi & de legitimo procedendi modo & vindicta juris intelligi, ut communis fere Dd. opinio habet. *vid. Treutl. consil. 86. n. 28. Vincent. Caroc. decis. 46. n. 4. & seqq. Cavallos commun. opin. contra commun. qvæst. 642. per tot. Hering. de fidejuss. cap. 5. n. 188. Carpz. prax. crimin. part. I. qvæst. 37. n. 86. & seqq. Dn. Mev. ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 16. art. 4. n. 13. Struv. de vindict. privat. cap. 1. aphor. ult. n. ult. Frider. Müller. dict. resolut. III. num. 7.* Quia scil. in dubio benignior interpretatio assumi debet *cap. estote 2. X. de R. J. L. proximè 3. vers. sed in re dubia 4 ff. qvæ in testam. delent. L. semper in dubiis. 96. ff. de R. J. Carpz. d. l.* cui & alia ratio addi poterit: Delicta non præsumi. *Gabriel Saravn. in cons. singulari n. 48. qvod consilium additum M. Mattheſilani singul. 110.* semperq; id intelligi, quod delictum excludit *Saravn. d. cons. n. 49.* caq; interpretatio facienda, ne quis incidat in delictum. *arg. Amerito. ff. pro socio.*

Jocio. Rectius tamen sentiunt, qui hæc verba non semper nec indifferenter in partem bonam explicant, sed ea prudentis Judicis arbitrio relinqvunt, ut is pro personarum & verborum qualitate diversimodè statuere satagat. *Carpzov. pr. crim. d. qv. 37. n. 89. post Arumæ. ad A. B. disc. 6. th. 17. Rumelin. ad A. B. part. 2. diß. 6. th. 8.* *Directa verba* præcipuè in malam partem interpretanda, equidem temerarias lites & vexationes magis quàm justas vindicationes, præprimis hoc perverso seculo, præsupponunt; imò vel solum in injuriam menati dicta esse possunt, quo si bonæ famæ & præstantis fidei sit ipsius fides infringatur, quod uti sæpe maximum infert damnum, ita eò minus tolerandum, ne dicam defendendum aut excusandum. Quid enim si inimicus inimico, cum quo nulla controversia judicialis est, hæc verba scribat dicatve? quid itidem si proferens talis sit, qui minas non jure, sed facto exequi solitus? Quid si adhuc alia injuriosa & minacia addantur verba, quæ juris vindictæ haud sint convenientia? His & similibus casibus prudens & circumspectus Judex quid juri consentaneum judicabit, uti rectè asserit *Carpzov. d. l. Mev. d. l. n. 14.* si autem vindictæ aut injuriandi studium abfuisse quoquo modo doceri possit, non possum non priorem approbare sententiam; verbi causa aliquis ad sui defensam vel propellandam petulantiam aut turbationem impediendã aut aliud factũ prohibitũ arcendũ, injuriosa & comminatoria dicit verba, puniri haud debent; etiamsi dubium aliquod subesse possit *post Bald. consil. 143. lib. 2. ibi: non consideratur qvalitas verborum, sed animus. Card. Tusch. pr. concl. Tom. 5. lit. M. concl. 236. n. 1.* Nam ubi offensio prohibita, defensio etiam excessiva erit aliquo modo licita. *argum. L. si ex plagis. 52. §. 1. ff. ad L. Aqv. & L. 3. ff. ne vis fiat ei, qui in possess. miß.* unde rectè consuluit *Dn. Frider.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0032
DFG

der. Prückman. vol. 2. consil. 15. n. 120. Si quis instanti dolore & irâ incensus minas emiserit animum deliberatum, si nihil subsecutum vel attentatũ fuerit, habuisse argui nequit *vid. Mase. de prob. concl. 1062. n. 9.* ubi hanc reddit rationem: quod calore iracundiæ fit, ad pœnã non est trahendum. *L. 1. C. si quis Imper. maledix.* Idem est, si quis ex ebrietate dicat: Er wolle ihn oder sie an Leib und Leben beschädigen. *Wesenb. in §. item lex Julia de vi. 8. Instit. de publ. judic. num. 4. Berlich. part. 4. concl. 22. n. 7.* quia lubricum linguæ non facilè ad pœnam trahi debet, *per L. famosi 7. §. hoc tamen 3. ff. ad L. Jul. Majest. Vinc. Car. d. decis. n. 10. & seqq. Hering. d. tract. part. 1. cap. 27. n. 235.*

§. 3. Inspiciendus ergò maximè animus & intentio minantis, nam ultra intentionem agentium actus nihil operatur. *L. 3. 8. & 19. ff. si cert. petat. L. 16. ff. de adqvir. rer. domin.* sed omnis actus regulari debet à fine, in quem dirigitur *L. si is qvi in aliena. 63. §. 3. ibi: nemo enim. ff. de adqvir. rer. dom. L. verum. 25. ff de furt.* nec actus jocosus quicquam disponit. *L fin. ff. de testam. & l. 24. ff. de testam. milit. vid. Gribald. de ratione studend. lib. 2. pag. 189. & 191. voc. Actus.* sicut enim qui vi officii vel ad sui defensionem quid comminatus fuerit, impunibilis manet, ut ante dictum, ita etiam is, qui non seriò sed per jocum aliquid iniquius aut gravius minatus fuit, adeò inculpari nequit, metum enim aut incusiones metus, quæ dicuntur minæ, ut in cap. I. notavi, juxta Diocletiani & Maximini rescriptum, non jactationibus tantùm vel contestationibus, sed atrocitate facti probari convenit. *L. metum 9. C. de his, qvæ vi met. caus. gesta sunt,* & hanc legem rectè de minis interpretatur *Brunman: in Comment. Cod. ad L. 9.* i. e. non verbis jactatoriis vel jactabundis metum incuti, sed facti aliquâ executione aut executionis apparitione. Hoc autem si non

apparet, præsumuntur magis jactabundæ quàm seriæ. *vid. Dn. Mev. ad Jus Lub. part. 4. tit. 16. artic. 4. n. 13. Struv. de vind. privat cap. 1. aphor. 4. m. ult. n. ult. pag. 12.* præsertim si offensio menata non statim sequatur. *Hieron. Treutl. d. consil. 86. n. 29. Joh. Baptista Costa de jur. & fact. ignor. inspect. 59. n. 3. & 4.* quâ de re tales minæ vocantur *Lusoriæ in L. 4. ff. si cui plus quàm per L. Falcid. ibiq; Gothofr.* minus enim faciunt, qui magna minantur. *cap. quod dicitur 4. X. de V. S.* & jactationes reputantur inanes. *vid. Dn. Tabor in Tract. de Tortur. & indiciis ad art. 32. Const. Crim. §. 8.* Nec hæ minæ per jocum aut jactantiam prolatę si menatum ad internecionem minantis irritent, ipsum excusant ab ordinaria homicidii pœna, nec enim ipsum oportuit jocum vi aut armis repellere. *L. 13. ff. quod met. caus. L. non est singulis 176. ff. de R. J. Carpzov. in Jur. For. Sax. part. 4. constit. 10. def. 10. n. ult.* nihil enim magis contrariatur joco, quàm violentia & atrocitas facti, & verba verbis repellenda, non factis. *Damboud. prax. crim. cap. 76. n. 19.*

§. 4. Si non jocoso sed serio & deliberato animo comminationes evomuntur, porrò inquirendum erit, an fiant nudis verbis mit bloſſen Worten / absque literis, gestibus minacibus, aut alio facto vindictam privatam præ se ferente; si fiant nudis verbis, sunt inanes, nec aliquâ pœnâ plectuntur, ut putat *Müller. in practica forens. Marchica resolut. III. n. 7.* quæ enim jactabundè, i. e. arroganter & gloriando proferuntur, nihil inferunt, ut *supra dictum cap. I.* per *L. fin. ff. de hereditat. petit. & L. fugitivus. 225. ff. de V. S.* ad quod facit textus elegans in *L. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. Majestat. ibi: quanquam enim temerarij pœnâ digni sint, tamen ut insanis illis parcendum, &c. & L. unic. C. si quis Imper. maled.* in qua rescribitur: Si ex levitate profectum maledictum, contemnendum, si ex insania, author ejus miseratione dignis-

dignissimus. Sed hanc Theoricam ita intelligo, si nihil injuriæ concurrat, aliàs propter hanc minandi proclivitas coercenda. *vid. Carpz. part. 4. const. 15. def. 5.* quæ opinio probatur in *art. 176. Const. Crim.* Multò magis deridenda erit comminatio, si tale quid contineat, quod effectu impossibile minitanti. *vid Dn. Tabor ad d. art. 32. Const. Crim. §. 5.* ut supra notatum v. gr. Cajus minatur Sempronio, nisi dictis sit obediens aut ipsius desiderio satisfaciat, se velle ipsi infamiæ notam vel maculam inferre; Certè vana & jactabunda erit hæc minatio, nam Caji ut privati in potestate non est, Sempronii famæ maculam conciliare per *L. nec timorem 7. ff. quod met. caus. ibiq; Brunman. n. 1.* infamia enim vel lege vel malefacto & non cujusvis libidine inuritur. *L. 1. ff. de his quæ notant. infam. vid. Hilliger. in Donell. lib. 15. cap. 38. lit. N.* parile judicium esto in cæteris, ut minæ verbales pro insultu non judicentur, post *Damhoud. & Farin. Mev. ad d. lib. tit. 4. art. 10. n. 11.* ad quod egregiè facit textus in *L. famosi 7. §. 3. ff. ad L. Jul. Majest.* in qua Modestinus: nec lubricum lingvæ ad pœnam facilè trahendum est, *vid. supr. §. 2. in fin.* quanquam enim temerarii digni pœnâ sint, tamen ut insanis illis parcendum est, si non tale sit delictum, quod vel ex verbis ipsius Legis descendit, vel ad exemplum Legis vindicandum est. Ergo non in omnibus lubrico lingvæ parcendum, aut non omnes minæ lubrico lingvæ excusari poterunt, e. gr. si comminatoria verba per se & suâ naturâ injuriosa, injuriam, invidiam & famæ maculam inurant, imò in summa si ita comparata, ut bonis moribus adversentur *L. item apud Labeonem 15. §. 1. 5. & 6. ff. de injuriis & famos. libell.*

§. 5 At si non in nudis verbis consistat comminatio, sed literis, majori coercitione digna erit, non enim

literæ ut vox audita pereunt, sed perpetuæ quasi manent & facto æquiparantur, utapparet ex traditis *Dn. Mev. ad Jus Lub. lib. 4. tit. 16. art. 4. n. 10.* & ita distincta leguntur in *L. aut facta 16. pr. ff. de pœnis.* Nec obstat, quod in *Nov. 44. proœm.* charta loqui dicatur, sicq; verba & scriptura ejusdem naturæ esse videantur; Alia enim est mens Imperatoris in *d. Nov. 44.* nam ibi scripturæ effectum in eo evehit, quod non sit mortua litera, sed sermonis vicefungatur, non verò id vult, quod non plus quàm nuda verba operari debeat; certius enim probantur minæ per literas, quàm per verba; attamen tantum effectum non pariunt quantum illæ, quæ gestibus & facto aliquo inspecie ita dicto inferuntur.

§. 6. Minæ diversimodè gestibus ostenduntur, vel oculis & dentium aut oris stridore & fremitu, vel elevatione manus & armorum; De prioris generis comminatione inter initia hujus disquisitionis quædam præfati sumus; dicam nunc de ultima specie, scil. elevatione manuum, cultri, gladii, lapidis, &c. armorum nocivorum, Wann ein Pock / Messer / Schwerdt oder Hand zum Schlagen wird außgezogen / auffgehoben / & hæc species communiter dicitur Admenatio *vid. Reyger. thesaur. pract. voc. Admenatio. & Dobbercinus in repertorio voc. Admenatio. adde Dn. Taborem disput. de Admenatione.* De hac Divum Hadrianum *in L. 1. §. Divus Hadrianus. 3. ff. ad L. Cornel. de sicar. ibi: nam si gladium strinxerit & eo percusserit, indubitatè occidendi animo id eum admisisse,* citat Dobbercinus; (ex qua lege horrendus & improbissimus fratris mei percussor ab Amplissima Facultate Juridica Rostochiensi capitis condemnatus, quorum sententia ab Amplissima Facultate Juridica Marpurgensi fuit confirmata, ita ut nequissimus ille homicida tandem Francofurti ad Viadrum anno 1679.

Archi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0036
DFG

Archibusio vitam finire coactus fuerit:) sed alia fortè Hadriani intentio fuit, quàm menatã mortem indicare. Cæterùm Jus Saxonicum hanc admenationem, (quod vocabulum, ut obiter moneam idem significat quod additionem vel auctionem minarum; ea enim vocis *ad* natura est, ut sit additativa & rem augeat & pro valdè accipiatur, sicut adoptare idem quod valde optare *vid. Dn. Strauch. Lexico Particular. voc. AD. n. 8. Joh. Anton. Trigona singulari 69. num. 3.* item adamare i. e. valde amare. *vid.* Landrecht *lib. 1. artic. 62.*) clarius depingit: Cui subscribit *artic. 14. lib. 4. Tit. 4. Jur. Lubec.* ubi Nomothetæ sic statuerunt: Wer sein Schwerdt oder Messer zücket/ in Willens jemand damit zu beschädigen / ob er wol nichts damit ins Werck bringet/ so soll er doch / wann er dessen überzeuget wird / zwey Thaler zur Straffe dem Gerichte zu erlegen schuldig seyn.

§. 7. Si factum aliquod, velut verbera & cruciatus, minis accedant, erunt maximæ & excessivæ, sunt enim præparatoria menatæ internecionis vel alterius violentiæ; nec longè dubitandum effectum comminationis proximè subsecuturum, aut proximè secutum, à menato profectum esse, ut infra in cap. V. de Effectu minarum probabitur. Antequam autem progrediar, de Minis, quæ specialibus signis in agris positis exprimuntur, quæ dicuntur Scopelismus, paucis quædam inferam. Est autem Scopelismus delictum extraordinarium, quo inimicus in prædio inimici ponit lapides, indicio futuros, eum, qui agrum istum coluerit, malo letho periturum, insidiis eorum, qui scopulos posuerunt. *L. 9. ff. de extraordin. crimin.* Alii definiunt Scopelismum, quod sit crimen, quo sub lapidibus aliave materia malæ absconduntur artes, ut accedentes malo letho pereant, *ut Frid. Mart. interpret. art. 109. Constit. Crimin. n. 34. Georg. Thebes. dissert. inaugur.* Defin. Scopelismi.

gur. de Scopelisuso thes. 6. & seqq. In Provincia Arabia hoc delictum committi, non fuit infrequens, (ut enim Chomatum ruptio Ægypti, sic lapidū positio σκοπελισμὸς Arabiæ crimen fuit peculiare ac proprium) tantumq; apud incolas terrorem excitavit, ut nemo istum agrum accedere, multò minus colere ausus fuerit, crudelitatem timens eorum, qui scopelismon fecerunt. d. L. 9. Struv. Syntag. jur. civil. exerc. 48. th. 82. add. Coll. Jurid. Argent. tit. de extraord. crimin. §. 4. quod tamen à Potentioribus ob Regionis sterilitatem & infœcunditatem non curatum. Magicam autem incantationem huic delicto subfuisse nullum planè dubium, ab antiquis enim temporibus hanc Gentem cum finitimis Magiæ fuisse deditissimam apparet ex Sacro Codice *Job. 5. v. 23.* ubi Eliphas Jobum inter alia sic alloquitur: *Cum Lapidibus Regionum erit pactum tuum*, i. e. nihil metuendum tibi erit à lapidibus fascinatoriis Magorum & Sagarum; uti explicat *Joh. Pineda in Comment. ad Jobum*, imò textus *Job. cap. 3. v. 8.* luculenter Arabes Magiæ convincit, ibi: *Qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leviathan.* Horrenda sanè verba. Idem ex antiquis Historicis asserunt *Josephus, Plinius & Mela*; & etiamnum hodiè in istis Regionibus maleficiis nihil frequentius inveniri, testatur ex recentioribus, *Lucas de Linda in descript. Arab.* Miseriarum patientissimum Jobum huic petreæ Arabiæ inhabitasse, ex Sacris palam est. Cum lapidibus hostilibus hanc Arabum Gentem susurras magicas & detestabilia maleficia perpetrasse, quis non animadvertit? procul dubio res venenatæ ac Magicæ sub lapidibus, aut alibi in agro fuerunt suffossæ & occultatæ, ut adhuc hodiè Magi & Sagæ, teste proh dolor experientiâ sub ædium limitibus (uti Proavo meo materno piè defuncto, Christophoro Corschwanten / JCto civitatis Patriæ Præclarissimo

simo

simo, quia pupillo in summa egestate constituto gratis patrocinium adversus Sagam præstiterat, quoque contigit) aut alibi, quo homines aut animalia transeunt, res maleficas & nocivas clam occultare solent, ut vitæ ipsorum insidientur; verba enim *d. L. malo letho periturus*, nil nisi insidiosum & malum vitæ exitum indigitant. *vid. Bernhard. Zieritz. ad d. L. 9. ff. de extraord. crimin.* in notis & animadvers. ad Const. Carol. annexis. Memoratu quoque dignum, quod *Dn. Struv. d. l. th. 83. ex Turpin. de reb. Carol. M. cap. 4.* refert. In Hispania circa tempora Caroli M. ab Arabe Pseudo-Propheta Mahomete insigni Mago, fabricatam fuisse statuam & positam, in qua Dæmoniacam legionem arte suâ magicâ sigillasse dicitur, eamque Christianos absque periculo accedere non potuisse, ac si avis fortè super istam sederit, illicò mortuam cecidisse. Pœna autem hujus delicti est arbitraria seu extraordinaria, Præsides enim exequi solent graviter usque ad pœnam capitis, quia & ipsa res mortem comminatur. Nam in gravioribus delictis pœnas arbitrio Judicis commissas, ad mortem usque extendi posse probatur *L. 13. ff. de pœnis. & L. 7. §. ult. de crim. repetund.* Nec obstat, quod hoc verbum *Usque* exclusivè intelligendum esse nonnulli putent, hoc enim subjecta ratio refutat, teste *Farinac. pr. crim. quæst. 17. n. 34. Brunman. ad d. l.* Publico quoque judicio hoc crimen, puta ex Lege Cornelia de Sicariis, vindicari posse *ex arg. d. l. sunt quædam 9. junct. L. 1. in princ. vers. quive hominis occidendi & L. Divus 14. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & L. is, qui cum telo 7. C. d. t. & L. aut facta 16. §. eventus spectetur. 8. ff. de pœnis. probat Henric. Bocerus disp. ff. part. 1. class. 4. disp. 9. n. 41.* Quod supra de Officialium minis dictum, largius exhibet concussionis materia, ideò de illa pauca subjiciam. Concutere autem est terrorem injicere non mor-

tis,

tis, sed pecuniæ vel alterius rei extorquendæ gratia. Hinc concussio describitur, quod sit crimen extraordinarium, quo molestiæ aut incommodi metu illato, pecunia aut alia res excutitur. *Struv. d. l. th. 93.* Principaliter à Judicibus & Magistratibus hoc crimen committitur *L. 1. de concuss. L. 3. C. de condict. ob turp. caus. L. unic. C. ne ex delict. defunct. L. ult. C. de modo mulct. quæ à Judic. inflig. L. 4. C. ad L. Jul. repetund.* quando partem ad sui corruptionem persvadere aut compellere studeant, aut alterum minis & persuasionibus eò inducunt, ut munera vel certam pecuniæ summam accipiat, hoc fine, ut in gratiam aut citius aut tardius, aut omninò non judicet, aut certè aliter quàm debeat. *Damhoud. pr. crim. cap. 129. n. 2.* cui proximè accedunt Judicum Officiales. *L. 1. de concuss. L. 6. §. 3. ff. de offic. Præsid.* qui simulato Præsidis jussu partem litigantem adeunt, ipsiq; proponunt id, quod in mandatis non habent, executiendiq; commissionem simulant, parcere v. promittunt, si tot vel tot nummos dederint, aut aliud quid in illorum gratiam faciant, unde utilitatem sperent. *Damhoud. d. l.* quibus adduntur privati illi, qui pecuniam dant aut accipiunt, ut ab accusatione desistant. *L. 1. §. 3. ff. de calumniat. Colleg. Jurid. Argentor. ad tit. de concussion. §. 2.* vel qui ad aliud quid, v. gr. ad contrahendas nuptias, ad emendum, vendendum, cedendum, &c. jure aut terrore, potestatis invitos cogunt. *L. 1. C. si qua prædit. potest. L. pen. C. de his quæ vi met.* vel ultra constitutum salarium imperiosè aliquid exigunt. *Wesenb. in paratit. ad d. t. de concuss.* cui add. *Colleg. Jur. Arg. d. tit. §. 3.* Pœna in Judice ejusq; Officialibus est, quod non solùm teneantur ad restitutionem illius, quod per concussionem extorserint. *L. 1. verb. ablatum d. t.* sed etiam interdum ad quadruplum. *L. 1. C. ad L. Jul. repetund.* & in his est delictum publicum admixtum

Defer: Concussionis.

cum

cum privato. *Farin. pr. crim. quæst. 11. n. 54.* & criminaliter punitur *Idem d. l. n. 1.* In privato verò est delictum privatum, de quo agitur in *L. 1. de concuss.* cujus pœna est arbitraria. *Farin. d. l. n. 54. Brunman. ad d. l. 1.* Fit autem de jure civili publicum delictum, si quis pecuniâ acceptâ crimen minatus fuerit, vel si in innocentium accusationem quidam coierunt, vel pecuniam acceperunt ad accusandum vel non accusandum, denuntiandum vel non denuntiandum testimonium. *L. 2. ff. de concuss. Colleg. Jur. Argent. dict. tit. §. 6. add. Bocer. in disput. ff. part. 1. class. 4. disp. 9. de extraord. crimin. n. 38. & Hoffmanni Lycurg. Roman. German. cap. 32. §. 10.* Sed quia in *art. 129. Ord. Crimin.* pœna capitalis statuta, etiam secundùm *d. art.* hodie dicitur crimen publicum, aut concurrere interdum cum extraordinario crimine judicium publicum. *Brunman. d. l.* Jure Canonico Judex concussor ut calumniator plectitur. *cap. militare in fin. 23. qv. 1.* sed jure novo variis pœnis punitur, de quibus *in cap. cum æternum Tribunal 1. de sentent. & re judicat. in 6to. Damhoud. d. l. n. fin.* Variis minarum modis & qualitatibus consideratis subsequens erit, ut ad Claudii Saturnini consilium *in L. aut facta 16. ff. de pœnis.* porrò consideremus Causam, Personam, Locum, Tempus & Eventum; nam de qualitate & quantitate, ut opinor, satis dictum.

§. 8. Causam minandi quod attinet, illa semper subesse debet, & regulariter requiritur in comminatione, & tunc non erit culpanda, nisi quoad excessum, licet & hic, ut jam ante indicatum, quadantenus excusari possit, *sc.* si iracundiæ calori à menato data fuerit occasio, *per dict. L. si ex plagis 52. §. 1. ff. ad L. Aquil.* suæ enim culpæ pœnam perpessus, nec irritato facilè quid imputabit *d. L. 52.* e. gr. si quis ebrium irritaverit, isq; impetu quodam non ver-

bis minacibus tantùm insultare incipiat, sed porrò rapiatur, ut ad manus vel ferrum veniatur, ut JCtus loquitur *in L. 11. §. 2. ff. de pœn.* per vinum lapsis datur pœnæ mitigatio, si non plena remissio. *vid. L. 6. §. 7. ff. de re militar. ubi Gothofr. & Simon Lew in not. plures Dd. authoritates ad hoc allegant. confer. supr. dicta.* Sin deficiat minandi causa, haud impunè feret minitator minarum culpam. Quid verò si causa aliqua prætendatur, sed ea sit injusta? si dolus & injuria satis doceri nequeat, delicti exclusiva præsumptio capienda, proniora enim sunt jura ad liberandum s. absolvendum, quàm condemnandum. *L. Arrianus. 47. ff. de oblig. & action.* & ideò quævis fatua & injusta causa à dolo & delicto excusat. *L. igitur 12. §. 3. ff. de liberal. caus. L. 1. in fin. ff. de abigeis. vid. Joh. Coras. Miscellan. cap. 8. n. 7. & 8.*

§. 9. De personarum conditione. *in Cap. præcedente* II. multa jam sunt dicta; addendum autem hoc, quod semper ea ita considerari debeat, an minans ejus sit ingenii & moris, ut dictas minas facilè exequatur nec ne. *L. 3. ff. ex quib. caus. major. in int. ibi: hujus disquisitio judicis est. vid. Altorff: JCti in Respons. 100. vers.* Wenn einmahl ist gewiß / ꝛc. *pag. 649. Gail. 2. obs. 93. n. 7. & 8.* vel ut habent verba *L. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. Majestat.* An potuerit facere, & ante quid fecerit, & an cogitaverit, & an sanæ mentis fuerit? quæ est communis Dd. sententia. e. gr. Si minator potens aut magno satellitio stipatus alicui solitario vel pauperi ignem aut invasionem minetur. *vid. Struv. de vindict. privat. cap. 2. aphor. 2. Dn. Mev. ad Jus Lubec. ad d. art. 4. n. 15. Joh. Fab. ad §. 2. vers. jus autem Gentium. Instit. de jur. nat. Gent. & civ.* aut alius perditæ indolis & ferociæ homo, qui *desperatus* meritò vocatur, si saltem gestibus minetur & lapidem moveat, aut cultrum & gladium quasi vibratur ut stringat, etsi facto nihil exequatur aut minas opere haud implet,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0042
DFG

at, tamen ob consuetudinem & malum morem quasi re ipsa quod malefeciſſet injuriarum ſi non graviùs tenetur. *L. 15. §. 1. ff. de injur. Weſenb. in Paratit. ad dict. tit. n. 7. Matth. Cöler. deciſ. German. 163. Anton. Gomez. lib. 3. variar. reſolut. cap. 6. n. 3. Sigismund. Flach. de privat. delict. diſput. 2. theſ. 11. add. ſupra de admenatione §. 6. hujus cap. dicta. Anton Corſet. in ſingulari voce Metus 173. in med. Dn. Mev. lib. 4. tit. 4. ad art. 14. num. 3. cum allegatis Dambaudero & Farinacio & Matth. de Afflictis.* per rationem, quia hoc in caſu præparatio habetur pro re præparata, poſt multos *Gabriel Sarayn. in addit. ad dict. ſingulare 173.* quod & confirmat *Guido Papa ſingular. 412.* qui tamen putat hunc conatum pœnitentiâ poſſe exculpari. Verba ejus ſunt hæc: Levando manum non percutiendo aliquem punitur, licet non percutiat, & pro hoc ſecundum Bartolum eſt textus ſingularis *in L. item apud Labeonem 15. §. ſi quis pulſatus 1. de injur.* ita dicit *Angel. de Aretin. in tractat. de maleſic. verb: Admenavit &c.* Quod credo verum, ſi per eum non ſtetit, quo minus percuſſerit. *arg. L. is qui cum telo 7. C. ad L. Corn. de Sicar.* ſi autem in ipſo actu levationis manus pœnituerit, retrahendo manum cum intentione non percutiendi, dicerem eum non fore puniendum. *arg. L. qui falſam 19. ff. de falſ. & faciunt. not. per Bartol. in L. Divus. ff. de ſicar.* Hæc refert *Gu. Papa in dict. ſingul. 412.* Verùm an hæc diſtinctio Papæ procedat, meritò dubito, etenim *d. l. 7. C. de ſicar.* indiſtinctè loquitur, & ſi quem invitum vi quadam arceri oportet à maleficio affectus pro effectu omnimodo habendus *L. ſi quis perſuaſerit 20. C. de furtis. c. 1. X. de præſumpt.* Fecit enim quantum in ſe fuit, ut, quantum minatus eſt, efficeret, ſed impeditus non potuit. *Maſcard. de probat. vol. 1. concl. 133. n. 6. & 8* minus patrocinatur Papæ allegata *L. 19. ff. de falſ.* etenim illa non de coacta aut impedita, ſed ſpontanea omiſſione.

ne loquitur, & non illa, sed hæc pœnitentiam infert, & si tamen & illa pœnitentia possit dici, quod non credo, nec probabitur, haud erit vera, vel ut *d. L. 19.* requirit justa pœnitentia, quam LL. præcisè requirunt. *vid. Dion. Gothof. in not. ad d. L. 19.* cum quo convenit quoad diffidationem juris Saxonici constitutio *in part. 4. constit. 16. ubi post Heig. part. 2. qv. 32. n. 42. & Cöler. part. 2. dec. 232. n. 2. Carpz. ad d. l. defin. 2.* Contra, si juvenis quid minetur non subsecuto effectu ex calore juvenili potius, quàm malitia profectæ creduntur minæ. *Joh. Baptista Costa de jur. & fact. ignorant. Inspect. 59. n. 3. & 4. H. Treutl. consil. 86. n. 29.* Similiter si fœmina vel alia imbecillis persona simile quid minatur, spernitur & ipsius imbecillitati condonatur, ut videre est apud *Bertazoll. consil. crimin. 116. n. 18.* Licet haud prætereundum fœminarum iras non esse æquales, sed malarum mulierum diras esse sæpius atrociores, quàm marium, unde audaces manus inferre & eapropter justam repudii causam præbere dicuntur *in Nov. 22. cap. 15. §. 2.* & his non ita venia promittenda, & ideò ob minas ab his cautio exigi potest de non offendendo. *vid. Carpzov. part. 4. Const. 15. def. 7.* quod singulare. Sed quid hoc mirum, cum adversus fœminam inculpatæ tutelæ moderamen licitum. *Const. Crimin. art. 144. ibiq; Dd.* Sed de illis prædicta locum habent, quæ vel non valent, vel non solent malitiosè agere: ac in iis obtinet, quod dici contigit: Vana sine viribus ira, aut ut *Florus lib. 3. cap. 5.* scribit: Non valet amplius quàm angvis, quæ obtrito capite postremum cauda minatur. Hinc orta est doctrina generalis, quod si minans sit talis, à qua executio non facilè timenda minæ justam timoris causam non inferant. *Bertazoll. vol. 1. consultat. Crimin. 238. n. 15.* unde in hoc passu considerandæ ætas, debilitas corporis & verecundia *can. considerandæ 17. distinct.*

distinct. 86. Quanto enim morti vicinior senex efficitur, tanto creditur esse timidior. *can. tanta 24. dict. distinct. 86.* Et sic duo potissimum in minante requiruntur, consvetudo & potentia exeqvendi minas, quod etiam satis clarè præscribitur *in Constit. Crimin. artic. 32.* Es wäre dann eine solche Person / daß man sich derselben gedräueten That zu ihr versehen mag / ꝛc. *Vid. Chassan. ad Consvetud. Burgund. pag. m. 385. num. 14. & 15. Dn. Tabor in tractat. de Tortur. & indic. ad dict. art. 32. Const. crim. §. 6. & §. 14.* contra eum, qui vilis & abjecti est animi, nulla minas exeqvendi stat præsumptio. *vid. Mascard. vol. 1. concl. 98. n. 9.*

§. 10. Postquam de personis quædam adduximus, ut etiam pauca addam de loco necessarium erit. Locus quidem nemini dignitatem & splendorem per se adfert, attamen modò securiorem modò meticulosiorem reddit hominem, quivis enim bonus in non tutis & desertis locis potius mala quàm bona sibi obviam iri posse metuere necesse habet, sicut contra in publicis & consecratis ut & munitis locis absque injuriarum metu tutò conversari potest; Reipublicæ enim & communis qvietis interest, qui in iis versantur, quæq; ibidem geruntur, ab omnibus turbis & violentiis esse remota. Tales sunt arces & castella Principum, ut & alia loca munita, Fürstliche Hoffstädte / Schlösser und Vestungen / cœteraq; loca *art. 2. lib. 4. tit. 15. Jur. Lubec.* enumerata, quæ adeò sancta ex usu communi ubique locorum habentur, ut ausus minari evaginato gladio vel simile quid faciens, unde facilis turbandi occasio sit, corporis incurrat pœnam; Levior quoq; injuria severè vindicatur, ut præjudiciis demonstravit *Carpzov. pr. Crimin. qvæst. 40. n. 33. & 34.* & plerumque relegatione, fustigatione vel manus amputatione punitur. *Carpz. d. l. n. 30.* Si itaque in publico & munitiori loco

minæ alicui inferuntur & hujus ratio haberi debet, ſicue enim locus facit, ut furtum vel ſacrilegium vel capite luendum vel minore ſupplicio *L. 16. §. locus 4. ff. de pœnis.* ita & ex loco, velut ſi cui in Templo, Palatio, vel in conſpectu Principis, Curiâ, Theatro vel foro injuria facta atrocitas æſtimatur. §. *atrox injuria 9. Inſtit. de injur.* nam atrocior eſt injuria, quæ in conſpectu honoratiorum fit, quàm quæ in ſolitudine. *L. 7. §. 8. ff. de injur. Cujac. lib. 9. obſ. 16.* item quæ in ædibus propriis tutisſimo receptaculo fit. *Carpz. p. 4. conſtit. 13. def. 9. n. 7. & ſeqq.* Ita quoque minarum gravitas & levitas non ſolùm ex qualitate, quantitate, perſonarum minantium conditione aut cauſa, ſed quoque ex loci natura & opportunitate æſtimabitur; unde etiam id dicitur convicium adverſus bonos mores, quod contra mores civitatis, vel loci alicujus dictum eſt, juxta Labeonem, quem laudat Ulpian. in explicatione Edicti Prætoris *in L. 15. §. 6. ff. de injur. vid. notata Gothofr. ad d. §. 6.* Circa hanc materiam occaſionaliter quæritur? Si hoſtis, uti ſæpiſsimè fit, minetur Gubernatori arcis vel caſtelli, niſi dederit ſtatim ante oppugnationem, ſe in expugnatione nulli parciturum, ſie wollen weder Weib noch Kind / noch des Kindes in Mutterleibe alßdann nicht verſchonen? Ad quã reſpondemus: Si ſervi communes Dominis ſuis cuſtodiam domus tam à domeſticis quàm ab extraneis periculo capitis ſui præſtare coguntur *L. 1. in pr. ff. ad SCtum Syllan.*, quantò magis illi, quibus cuſtodia arcis vel oppidi & publica ſalus commiſſa eſt, pro qua tuenda nullum periculum, nullos cruciatus, nec mortem denique ipſam quisquam recuſare debet: quare exactisſima diligentia præſtari debet etiam in arcis cuſtodia. Unde crimen Majeſtatis incurrit, qui arcem non tenuit, ſed hoſtibus conceſſit *L. 3. ff. ad L. Jul. Majeſt.* Cum quo concordat der Königl:

Schwed:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0046
DFG

Schwed: Artic: Brieff. *artic. 57.* Wann eine Vestung dem Feind ausser hohen Noth auffgegeben würde / so sollen die Befehlhaber am Leben gestraffet werden / die gemeine Soldaten ohne Fahnen ausser dem Läger dienen / und dasselbige reinigen / biß daß sie ihr Verbrechen mit männlichen Thaten ergäntzet haben. *Vid. etiam art. 58.* *In artic.* verò 59. exprimuntur causæ relevantes, quæ Gubernatorem de dedendo castro vel oppido excusant. (1) So muß die äusserste Hungers Noth demonstriret werden. (2) Daß kein Entsatz zu hoffen gewesen. (3) Daß doch die Vestung in kurtzer Zeit dem Feind mit Verlust und Abgang der gantzen Besatzung in die Hände gerahten. Cum quo concordant aliorum Regum & Principum Jura & Ordinationes militares, quas congessit *Burgerus in observ. Polit. militar. cent. 1. obs. 10.* Et Constitutionibus Regni Hispaniæ cautum est: non debere quem mortem recusare pro arcis defensione, pro qua tuenda fortiter sequilibet gerere debet, etiam contra Patrem, filium vel quondam Dominum: neque tanti quis facere debet mortem vel quodcunque periculum, quæ sunt transitoria, quàm infamiam, quæ illi posterisq; suis in perpetuum inuritur, si honori suo non satisfecerit. *Reg. lib. 12. tit. 18. part. 2.* Et quidem necessitate famis cogente potius filium comedere debet, (quod durissimum mihi videtur) quàm hosti arcem tradere injussu Domini, neque enim excusabitur, si dedat arcem ex eo fortè, quod hostes minitentur mortem uxori & liberis, aut quibusvis aliis, salus enim Reipubl. charitati liberorum præferri debet *L. 19. §. 7. ff. de captiv. & postlim. reversi.* & misericordiâ qui intempestivè utitur, punitur *l. 7. §. 7. d. dol. L. 5. ff. de serv. corrupt. L. 7. §. 7. ff. ad L. Aqv. L. 14. §. 1. ff. de custod. & exhib. reor.* Itaque Alphonsus Perez Gusmannus post semestrem Tarifæ obsidionem, hostibus minitantibus, nisi oppidum dede-

dederetur, filium se illius, quem apud se habebant interfecturos, respondit: Filium Patriæ, neq; eum immortalem genuisse, quo se orbari, si sors ita ferret, quàm præsidio decedere & fidem frangere sibi satius esse; illud n. fieri vel cum sua gloria posse, hoc sine suo dedecore ac scelere non posse, atq; ita filium in conspectu suo ab hoste necari passus est. Et quidem hujus disciplinæ tam severi censores fuere Hispani: ut ex eorum Constitutionibus Præfectus arcis, qui eam hostibus tradidit, sit reus criminis læsæ Majestatis *Reg. lib. 1. & 6. tit. 28. part. 2. Burger. d. l.* Quod Juri Civili congruit *L. 3. L. pen. ff. ad L. Jul. Majest. L. ult. C. de abolitionibus. conf. Feldmannum decad. respons. militar. resp. 1. n. 6. ibiq; alleg. Dd. cui adde resp. 2. & 3.* Omni etiam laude dignus Gubernator Hasso-Cassellani Castri Ziegenheim, Heinz von Lutter/ qui superiori seculo admirandam Caroli V. potentiam elusit, dum enim Cæsariani locum illum sibi dedi postularent, & quidem jussu Landgravii, quitum à Carolo V. Cæsare captivus detinebatur, egregiè & masculè respondit: Der freye Landgraff hat mir die Vestung zu halten befohlen: der Gefangene kan mir diesen Befehl nicht wieder cassiren. Es stehet nicht in seiner Macht/ alldieweil er selbst nicht in seiner/ sondern in ander Leut Gewalt ist. Cùm Cæsariani porrò minarentur: Nî dederet castellum, se velle captivum Landgravium eò adducere & in conspectu urbis suspendere; iterum regessit: Ist der Landgraff ewer/ so ist die Vestung mein: machet ihr mit ihm/ was ihr wollet/ ich will mit dieser machen/ was ich will; uti ex Zinckgreffio refert *Constantin. Sincerus in Itiner. German. pag. m. 423. & seq.* Quilibet ergò, cui ejusmodi custodia & defensio concredita est, ita se gerere debet, ut, si quid adversi contingat, & necessitate ad deditionem compellatur, ut non tam videatur id metu mortis fecis-

fecisse, quàm ut se suosq; Reipubl. conservaret, & ex arce, mox omnino futura hostium, saltem præsidium Reip. eriperet, uti monet *Burger. d. l.*

§. 11. Tempus, si in delictis eorumq; pœnis aliquo modo, sanè in minis quoque sigillatim attendendum; Interdiu si factæ vel citius præcaveri, vel repelli poterunt, de nocte autem cum minitans vix videri aut cognosci possit, magis metuendum, ne is exequatur, quod minatus est; nox enim nihil moderabile svadet, imò de nocte quæ committuntur, haud facilè probari possunt, ideò delicta de nocte commissa semper graviora reputantur. *vid. Mascard. de probat. vol. 3. concl. 1115. per tot. præsertim n. 14. ibiq; & Loys. Ricc. in addit.* ideò enim nocturnum tempus electum videtur, ne innotescere debeat ei, cujus interest. *L. 4. §. fin. & L. 5. ff. quod vi aut clam.*

§. 12. Demum cum exitus acta probet vel ex eventu judicium maximè fit formandum, juxta *text. L. quædam. 15. ff. de reb. dub. in fin. vid. Simon Vaz Barbosa Loc. com. Lit. E. n. 28. cum alleg. add. L. 16. §. eventu 8. & §. evenit 9. ff. de pœnis.* propositum nostrum in hoc articulo minarum tractationem aliquantisper extendere requiret; affectus sine effectu multoties vanus, inutilis & nullus. Quid enim obest conatus, cum injuria nullum habuit effectum? uti quærit *Ulpian. in L. 1. in fin. ff. quod quisque jur. in alt. stat.* ita minæ, quæ initio videntur maximæ, effectu sunt minimæ, nam minus faciunt, qui magna minantur, uti colligunt *ex cap. quod dicitur 4. X. de V. S.* unde Germanorum proverbium: Höede die vör den Schliker / de Röper det die nicht / verba enim sunt prætereaq; nihil. Si ergo minarum eventus sequatur, non diu quærendum, à quonam hic effectus fuerit profectus, sed minitator ut suspectus meritò accusari & conveniri poterit; hoc enim casu fa-

vor rei exspirat & præsumptio contra conventum, si modo de minis certò constiterit, de his enim ante omnia certum esse oportet, militabit. Quod celebratissimus Criminalium causarum Judex & Vindex Carolus V. Imperat. *in Const. Crim. art. 44.* præ cæteris observavit, quando hoc modo disponit: Wer jemand zu bezaubern bedrowet/ dem Bedroweten dergleichen geschiehet/ dieselbe Person desselben auch berüchtiget/ das giebet eine redliche Anzeige der Zauberey: Sanè ipse vel perfecit veneficium vel non; si non fecit, contrariis indiciis se purgare poterit; minæ enim tantùm faciunt indicium veneficii concurrente sc. fama; nec enim ex nudis minis eisq; secuto effectu nisi fama concurrente Magia probari potest; velut etiam diversa JCtorum Responsa indicant.

§. 13. Minis quidem maximè adversantur blanditiæ & blandiloquia, attamen si à tali persona, cujus in manu fortuna nostra est, proficiscantur, isq; sævire in subditos soleat, hæ à minis parum distant, præsertim si instantissimæ sint, & ideò minis æquiparantur *gloss. in L. 1. C. si Rector. Provinc. Mascard. de probat. concl. 193.* qui ibidem prolixius hanc materiam prosequitur. *add. Lipsk. à Lipe observ. practicar. cent. 2. obs. 9. n. 9.* quando quis, ut *Ovid.* canit: precibusq; minas regaliter addit, nam paria sunt aliquid fieri per metum, vel per suspicionem violentiæ inferendæ. *Wesenb. part. 6. consil. 260. n. 17.* Unde si Comes rogat subditum, ut vendat sibi hortum, ista rogatio metum inducit, ac proinde si subditus vendat, metu vendidisse dicitur, inde vulgare: *Est rogare Ducum species violenta jubendi. Schneidw. ad §. 25. n. 43. Instit. de Action.* sed non solùm vis Tyrannica & sævitia Principum & Præsulum hoc efficit, sed latens decipiendi animus, etenim blandam orationem non ex animo proficiscentem, sed ad gratiam com-

posi-

positam, Diogenes dicere solitus, melleum laqveum, quod blandè complectens hominem jugulat. *vid. Erasm. Apophtegm. lib. 3. p. m. 193.* In dubio tamen hæc non procedunt, quia non præsumitur Princeps vel Prælatus ita malè agere cum subditis, quia in illis nec præsumitur metus ob reverentiam, nisi concludenter probentur præcessisse verbera & minæ, sicut nec in Patre & Marito, post multos Dd. *Mascard. dict. concl. 193. n. 7. Vital. Cambano de clausul. clauf. 75.* ubi *ex L. si longius 18. in fin. ff. de judiciis* hanc reddit rationem: Dignitas enim non debet obesse, sed prodesse.

§. 14. Circa qualitatem minarum adhuc notandum, quod habere debeant objectum privatum & singulare, non autem commune, publicum & universale. Certum quidem est, minarum vocabulum esse generale & non solùm verbales, scriptas & actuales, velut admenationem, &c. sed etiam diffidationem ceu singularem speciem sub se comprehendere; sin strictè vocab: *minæ* accipiatur, multum differt à diffidatione, hinc JCti & Scabini Saxonici, ut patet *ex Const. XV. part. 4. ibi:* Wir werden berichtet/ daß etliche auß unseren Schöppenstülen einen Unterscheid unter Dräw- und Vehde-Worte zu machen pflegen / und die jenigen / welche mit einer Condition, so ferne man sich mit ihnen nicht vertragen würde / absagen / vor rechte Befehdere nicht erachten wolten / &c. Verùm conditionalis comminatio non solùm efficit comminationem in specie dictam, sed communis est & simul propria & conveniens Diffidationi in specie dictæ, quapropter divus Elector Saxoniæ in allegata Constit: id principium rejicit & tales diffidationes juxta speciales diffidationum ordinationes vult dignosci & judicari. Ut autem sciamus, *quid* diffidatio sit, definitur ea, quod sit minitatio *hostilis*, quâ quis per lite- Defin. Diffidationis.

literas, signum aliudve factum inimico suo persecutionem extremam vitæ, sangvinis aut bonorum denuntiat, unde pax publica violatur & toti populo aut universitati vel maximæ ejus parti periculum & damnum imminet. Definitur autem per minitationem ceu genus: diffidationes enim minæ sunt, non vice versa, omnes minæ diffidationes, adeoq; hæ per illas bene definiri & minæ quandoque pro genere, nudis sc. minis accipi possunt exemplo adoptionis, quæ alio modo genus, alio modo species est, nempe quatenus opponitur arrogationi. §. 1. 2. & 3. *Inst. de adopt. Carpz. pr. Crim. quæst. 37. n. 16. & 17.* Duo autem, unde à minis differant & dignoscantur, præprimis requiruntur; *Primum* est, ut verbis minatoriis factum vel facti signum accedat, quo persecutio vitæ, corporis, vel bonorum ab inimico denuntiatur, quo pertinent literæ diffidatoriæ, Brand- und Fehde-Brieffe / signa & primitiæ, die Brandzeichen / Feur-Brände / Strohwischen / Besem / gelegtes Pulver und Kohlen / ꝛc. *vid. Recess. Imper. de Anno 1555.* §. solches alles. & §. wir setzen / ordnen / ꝛc. quibus tantùm detrimenti se allaturos minitantur, ut ædificia pagorum & oppidorum combusta & in cinerem redacta scopis converri possint, *art. 128. Constit. Crim. ibiq; Matth. Steph. cæteriq; Dd.* *Secundum*, ut pax publica violetur, & quies universitatis turbetur, & sic universo populo periculum immineat, & hostilia metuere habeat necesse, hinc diffidare nihil aliud est, quàm bellum, hostilia atque extremas inimicitias denuntiare, quæ non ad unum aliquem, sed totum populum aut universitatem pertinent. *L. hostes 24. ff. de captiv. & postlimin. reversi. Zas. in §. sic itaque discretis 14. Inst. de action. n. 15. Carpz. Jur. For. part. 4. const. 15. def. 2. n. 5. & 6.* Ubi E. alterum horum deficit comminationes nudæ vel in specie tales dicuntur, *conf. Dn. Mev. lib. 4. tit. 16. art. 4.*

& hoc

& hoc ultimũ requisitũita extenditur, ut si vel uni ex universitate quid hostile menatum sit, pariter judicetur, ac si toti universitati diffidatio denunciata, per rationẽ, quia uni, quæ menantur, universitatem facilè afficere possunt, cum propter vicinum malum semper aliquid mali, & tunc tua res agitur, paries cum proximꝰ ardet. *Carpz. d. l.* quod ita, si ex ea uni facta comminatione etiam in cæteros facilè possit damnum redundare, & ita non unus tantum, sed & cæteri simul pati coguntur. Ex quo apparet, si minæ vel in verbis consistant, vel in tali facto quod menatur ejusq; familiam tantum & non simul alios de universitate tangat, aut facilè tangere possit; minas esse inspecie dictas. v. gr. aliquis h. m. civi minatur, Ich will dir eine Kugel schencken/ ich will dich erschiessen/ erstechen/ ꝛc. sunt minæ, ratio, quia sunt denuntiationes certæ personæ factæ, quæ potius nudæ minæ quàm veræ diffidationes. *Carpz. d. l. def. 3.* ut nec similiter pro diffidatione habendum, si quis ita minetur: Er wolle ihm einen rothen Hahnen auffs Hauß setzen/ puta, si id nudis verbis fiat, nullo addito facto, puta affixione signi vel literarum. *Carpz. def. 4. & in Disput. Feudal. corollar. 5. disp. 7. Dn. Mev. ad Jus Lub. d. l. n. 10.* Et licet ex hujusmodi commenata inflammatione non solùm menato, (quod verbum frequens est JCtis, qui pro verbo minari, quod deponens est, utuntur activo menare, *vid. Thab. de admenat. §. 6. & 28.*) sed & cæteris vicinis ejus universitatis imminere possit periculum, sicq; de uno ex universitate, quod supra dictum, hîc quoque deberelocum invenire, argui possit, tamen quia alterum diffidationis requisitum, scil. facti concomitantia, velut signorum & literarum affixio deficit, hic minitator, pro diffidatore non habetur, idem diffidationis pœnam seu capitis abscisionem timere non habet; sicut contra, si

quis universitati minetur: Er wolle das Dorff anzünden/ und in die Asche legen/ nec tamen aliquid factum accedat vel sequatur, daß er Brandbrieffe und Brandzeichen alß Pulver/ Kohlen/ ꝛc. anschlage und anlege/ ob primum deficiens requisitum, itidem tales minę pro diffidatione haud reputari poterunt. *Dn. Carpz. d. def. 4. & Coroll. 5.* Etsi hæc sufficere potuissent de diffidatione protulisse, tamen ob maximam cognationem pauca de ea materia adhuc subjicere licebit.

§. 15. Non autem unius generis sunt diffidationes, sed vel justæ vel injustæ; *Prioris generis* sunt, quæ ex justis causis justum bellum præcedentes fiunt; diffidationes enim justa bella præcedere debent. *Bald. ſ. vaſalli noſtri. n. 3. de paceConſtantiæ & in L. manumiſſio 4. C. de ſerv. & aqv.* & tunc *primò* literæ diffidationis ipsis diffidandis personaliter, vel in locis habitationis triduò ante diffidationẽ s. bellũ legitimè intimandæ sunt, cacꝫ intimatio plenè est probanda per *Aur. Bull. Carol. IV. cap. 17. de diffidation.* Ratio est, ut ille, qui diffidatur, intra illud tempus contra hostem se munire possit, aliàs deprædatio dicitur. *arg. L. aut qvi aliter 5. ſ. filius 1. ff. qvod vi aut clam. Bocer. de diffidat. cap. 2. n. 9.* prout in omni legitimo bello inferendo diffidatio requiritur, quod & juri divino consonum *Judic. cap. 11. v. 16.* aliàs in hostes captivos tanquam in latrones animadvertitur, uti *ex Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib. 3. cap. 3. n. 11.* probat *Rumelinus ad A. B. d. l. th. 2. ibiq; Myler. in addit.* hodie dicitur *Clarigatio. Secundò*, quando Diffidator justitiam impetrare non poterat, nam ob justitiæ defectum licitum putabatur sibi ipsi jus dicere *arg. L. generali 54. C. de Decurion. L. 10. ſ. ſi debitorem meum 16. ff. qvæ in fraud. cred. Webner. in obſerv. pract. voc.* Befehden/ & ubi quis Judicis copiam habere nequit, permittunt jura propriam ultionem, quia

melius

melius est in tempore occurrere, quàm post acceptam cladem remedia quærere. *tot. tit. C. quand. lic. unic. sin. Jud. se vindic.* Hodiè tamen in Imperio Romano Germanico, ne quidem his in casibus, scil. ex causa denegatæ justitiæ diffidationes Imperii Statibus permittuntur, sed rectà Imperatorem vel Cameram Imperii adire licet. *Rumelin. d. l. & part. 2. dissert. 2. thes. 13. ibiq; Myler. in addit. lit. B.* secus faciens reus sit fractæ pacis, per *Instrum Pacis Osnabr. Monast. art. 17. versic. veruntamen. Alterius generis* diffidationes sunt injustæ, quæ à privatis fiunt, verbo DEI repugnantes, honestati adversantes, conspirationibus, disfidiis, bellis & rapinis variis occasionem præbentes, adeoque multis modis publicam tranquillitatem perturbantes penitus sublatæ, ac sub Banni Imperialis aliisque pœnis in totum prohibitæ sunt. *Recess. Imper. de Annis 1495. 1500. 1512. 1521. 1548.* quorum rubric. & §§. *vid. apud Dn. Mev. ad Jus Lub. lib. 4. tit. 16. artic. 4. n. 2. & 3. & Rumelin. d. l. thes. 4.* quibus Recess. *add. art. 128. & 129.* Const. Crim. Carol. V. inde pro crimine fractæ pacis publicæ habẽtur. *Dn. Mev. & Matth. Steph. dd. loc.* & ultimo quoq; supplicio plectuntur, quod & juri communi consentaneum, ut ex *L. qui dolo 10. §. hac lege 1. ff. ad L. Jul. de vi publ. L. 2. ff. ad L. Jul. de vi priv. L. si criminis 4. §. sed quoniam. C. eod. L. lex 12. tabularum 3. §. eadem lege tenetur, qui injussu Principis bellum gesserit, &c. ff. ad L. Jul. Majest. & L. unic. C. ut armorum usus inscio* demonstrat *Matth. Steph ad d. art. 129. add. Rumelin. d. th. 4. ibiq; Myler. in addit. lit. B.* quod adeò extensum, ut conatus pari quoque cum effectu pœna coerceatur *Rec. Imp. de anno 1555. §.* wir setzen/ ordnen/ *Ordin. Crim. art. 128.* Etsi enim Leges Juris civilis affectum s. conatum pari cum effectu pœna non puniunt. *L. cogitationis 18. ff. de pœn. L. 1. in fin. ff. quod quisque jur. in alter. stat.* hoc tamen limitatur in atrocissimis delictis,

de

de quibus loqvuntur *L. generaliter 3. in pr. ff. de calumn. L. si à servo 5. ff. de condict. ob turp. caus. L. quisquis. 5. in pr. C. ad L. Jul. Majest. L. is qui cum telo 7. C. ad L. Corn. de sicar.* & plures aliæ *ab Augustin. Barbos. allegatæ in loc. Commun. voc. Affectus* quibus rectè annumeratur crimen fractæ pacis publicæ, *per Ord. Cameral. part. 2. cap. 14. Gail. 1. de P P. cap. 14. n. 8. 9. & 10. Cothman. 3. respons. 2. n. 26.* Et licet de communi Germaniæ consuetudine hodiè conatus pœnâ ordinariâ haud puniatur, teste *Carpz. pr. Crim. quæst. 71. n. 48.* ubi communem hanc esse Dd. opinionem probat, illud tamen rectè limitat *Jul. Clar. §. fin. quæst. 92. n. 2.* nisi Lex vel statutum expressè aliud disponat, *Carpzov. Jur. For. part. 4. const. 18. def. 7.* quod hic obtinet, per *dict. Recess. Imp. de anno 1555. §.* wir setzen/ ordnen *in verb.* unangesehen/ ob sie sonst nichts anders mit der That gehandelt hätten/ *& Const. Crim. art. 128. verb:* unangesehen/ ob sie sonst nichts mit der That gehandelt hätten/ ratio est, quia pax publica turbatur, non tantùm per vim præsentem & armis, sed etiam per molitiones, denuntiationes & hostiles conspirationes, nec non armis propediem expediendis *Gail. 1. de P.P. cap. 2.* & ad diffidationem civitati & universitati factam nihil aliud requiritur, quàm emissio literarum vel appensio signi diffidatorii, ex quo diffidatio perficitur, ut mirum haud sit pro diffidatoribus illos haberi eademq; conantes qua efficientes pœnâ plecti, etiamsi damnum haud datum sit. *Carpz. part. 4. const. 14. def. 3.* actus autem proximus in delictis atrocissimis pro consummato haberi debet. *Berlich. part. 4. concl. 20. n. 6. & conclus. 21. n. 8.* quò pertinet, quod Cicero in Paradoxis scribit: *Peccata non reorum eventu, sed vitiis hominum metienda esse. Gail. 1. de P.P. cap. 14. n. 8. & seqq.* Similiter & diffidatores sunt, pariq; cum illis pœnâ afficiuntur, qui literas diffidantium scribunt vel concipiunt. *Rec. Imp. de Anno*

1594.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0056
DFG

1594. §. dergleichen und dieweil. si simul opem cooperativam diffidatori præstiterint, puta literas affixerint, quod etiam Juri civili conveniens, per *L. in furti 50. §. 1. ff. de furtis. text. in L. unic. §. 2. de raptu virgin.* ex quo manifestum, quod ille, qui tantùm scribit, non verò affigit vel emittit, ordinariâ, h. e. capitis pœnâ plecti non debeat, sed extraordinaria, h. e. virgis cedi vel relegari debeat, ratio est, quia in ipso actu delinquendi scribens opem suam non suppeditat *Carpz. part 4. const. 4. def. 4. n. 7. & seqq.* Sin verò signa hostilia & diffidatoria, puta scopas, titiones aut carbones, papyrum cum pulvere tormentario alterius nomine suspendit, sine omni dubio pro diffidatore habetur, ordinariaq; capitis seu gladii pœnâ punitur, quia posita causa ponitur effectus *Carpz. pr. Crim. quæst. 37. n. 41. & seqq.* licet propositum ac animum nocendi minasq; exequendi diffidator nunquam habuerit. *Idem d. l. n. 29.* quia hominibus terrorem & metum incussit, quapropter pro diffidatore quis habetur, câq; pœnâ notatur, uti pluribus probavit *Carpzov. pr. crim. d. l. n. 31. & 32. & Jur. For. part. 4. const. 14. def. 9.* Pari quoque pœnâ afficiuntur illi, qui non purè, sed sub conditione, si hoc vel illud non fecerint, so ferne man sich nicht mit ihnen vertragen / dieß oder jenes abschaffen würde / diffidaverint, nonnulli enim in erronea illa hæsere opinione, hos pro simplicibus minitatoribus, non verò pro diffidatoribus existimari debere, propterea etiam de jure gladii pœnâ puniri non posse, cum conditio suspendat actum & nihil inesse ponat *L. cedere diem. 213. ibiq; Gœdd. ff. de V. S. L. si quis sub conditione 8. ff. si quis omiss. caus. testam. Berlich. part. 4. concl. 22. n. 22.* Sed contrarium verius est, æquè enim qui sub conditione civitati incendium minatur, metum ac trepidationem incutit, quàm qui purè & absque conditione hoc facit, adeoq; e-

xistentibus diffidationum requisitis, ipsum delictum committitur: experientia enim testatur, ferè semper diffidationes esse conditionales, nisi illud datum vel factum fuerit; rarissimè enim plecterentur diffidatores, si hoc modo pœnam effugere possent, & fraus facilè inventa esset, per quam diffidationes licitæ fierent, cum quilibet sentiens ejusmodi diffidationes conditionales non ita acriter puniri, se ad illas converteret *Carpz. pr. Crim. d. l. n. 32. & 33. & 57.* Non inconcinnè hîc quær: An Pater filium diffidatorem vi patriæ potestatis decollare vel carnifici ad detruncandum tradere possit? Memoratu dignum hac de lite est exemplum Consulis Stargardiensis Joachimi Appellmanni, qui anno 1576. filium improbum & diffidatorem, cum tota civitas metu damni ex maleficii incendiis ad carcerem filium, aut à Patre cautionem vigore *artic. 176. sanctionis Carolinæ*, exigeret, illum clam decollari jussit, ut domestico potius exemplo quàm publico periret; uti refert *Paul. Frideborn in Chron. Stetin. lib. 3.* Idq; laudatum potius quàm punitum factum fuit, teste *Dn. Mev. ad Jus Lubec. lib. 1. tit. 3. n. 10.* Licet enim hodie parricidia in totum sint prohibita, per *L. 5. ff. ad L. Pompej. de Parricid.* si tamen Parens privatim eum mactet, qui capitalis criminis reus est, extraordinaria saltem aut nulla pœna eum coerceri æqvum videtur *Dn. Mev. d. l. n. 8. & 9.* Aliud exemplum notatu dignius *ex Jac. Aug. Thuani lib. 32. Histor.* refert *Brunman. in præfat. tractat. de Proceß. inqvisitorio* de Cosmo Magno Hetruriæ Duce, duos habente filios, quorum natu minimus Garsias, Johannem seniorem jam tum Cardinalem 16. annor. ex puerili æmulatione & Caino odio in venatione acinace cominus transverberaverat. Hoc fratricidium cum Parenti esset delatum, Garsiam accersivit, qui initio pertinaciter negavit, usq; dum

ad

ad fratris cadaver accedere jussus, statim sangvis ebulliit. *En*, inquit Pater, *sangvis fratris tui, qvi ultionem a DEO & à me deposcit; Me miserum, qvi tales filios genuerim, aut iis superstes fuerim, qvorum unum immani parricidio necatum hisce oculis adspicere cogor; alterum, nî impius & iniqvus juris inter meos dispensator sim, è medio tollere, ipsa pietate suggerente compellor! Scelus est Patri filium interficere, sed magis scelus admittam, si eum vivere diutius patiar, qvi per fratris perniciem ad Patris necem & familiam totam cæde ac ferro evertendam gradum fecit.* Hoc audito, Garsias, delictum porrò negare erubuit, rixæ tamen ansam Johannem præbuisse asseruit, ita ut nisi propriam salutem negligere voluisset, aliter se incolumem reddere non potuisset, quâ frivolâ excusatione non attentâ, Pater, cui mansuetus Johannis animus haud ignotus, ensem, quo fratrem confoderat, & adhuc cinctus eo venerat, supplici Garsiæ eripuit, nudumq; stringens, *Hodie*, inquit, *pestem domesticam, ne latius exemplo serpat, è visceribus meis avellere decrevi, & qvanqvam dulcissimi filii cædem, non nisi alterius filij moribus disparis cæde expiare possim, malo me posteritas infelicem ac durum Patrem prædicet, qvàm imprudentiæ & iniqvitatis arguat. Tu verò gaude, qvod vitam, qvâ indignus es, cum amittere debeas in Patris manibus, à qvo eam accepisti, depositurus sis;* quo dicto DEUM precatus, ut factum comprobaret & fonti filio gratiam delicti faceret, eodem pugione, quo ille Johannem interfecerat juxta fratris cadaver perfodit. Sed domesticam hanc cladem Pater in vulgus spargi severè prohibuit, & vulgari Garsiam morbo extinctum esse edici jussit. *Qvod satis de parricidio illo dictum esto.*

§. 16. Quamvis in præcedentibus satis probatum, diffidationes nemini de jure competere, tamen nihilominus observandum, quod sint nonnulli casus excepti,

quibus sunt permissæ nullamq; pœnam mereantur, puta (1) si cum consensu Imperatoris vel Romanor. Regis fiant & ita bellum inferant. *art. 129. Constit. Carolinæ vers.* doch ob aber seiner Fehde halben / &c. *Ludov. Gilhaus. in arb. crim. cap. 2. tit. de diffidat. n. 9. in princ.* Hodie autem solius Imperatoris consensus non sufficit, sed totius Imperii. *Instrum. Pac. Osnabr. Monast. artic. 8. §. gaudeant sine contradictione.* Imò jam ante aliquot secula Imperium tale jus sibi acquisivisse exemplis demonstravit *Burgold. ad d. art.* in Henrico I Henrico III. & Friderico I. & ex Capitulat. Carol. V. & Ferdin. II. ubi ad minimum Electorum consensus requiritur, quæ prærogativa tamen per *dict. Instrum. Pac.* iterum sublata & novissimâ Capitulat. hodierni Imperatoris Leopoldi *Anno 1658. art. 11.* confirmata. (2) Si quis suo suorumq; hosti bellum seu diffidationem inferat. *d. artic. 129. verb:* oder der den er also befehdet. *ibiq; Matth. Steph. Gilhaus. d. cap. 2. tit. 8. n. 9. post princ.* Vel denique (3) si quis vim vi repellat, aliamve justam diffidationis causam habeat *d. art. 129. vers.* oder sonst zu solcher Fehde rechtmäßig gedrungen. *Gilhaus. d. l. Berlich. part. 4. concl. 21. n. 22. & seqq.* Quas tamen restrictiones non de personis privatis, sed de publicis, puta Principibus & aliis, quibus merum imperium & alia Regalia competunt, accipiendas esse asserit. *Berlich. d. l. n. 25.* quod & totus *d. art. 129.* contextus comprobat & evincit. *Berlich. d. l.* Cum hoc tamen annexo moderamine etiam Principibus diffidationibus uti concessum, ut per tres dies naturales ipsi diffidando personaliter vel in loco, in quo habitare consuevit, publicè fuerint intimatæ, possitq; de intimatione hujusmodi per testes idoneos fieri plena fides. *sunt verba Aur. Bull. Carol. IV. cap. 17. de diffidat. ibiq; Rumelin. part. 2. dissert. 6. th. 2. ibiq; Dn. Myler. in addit. de quo & supra.* si secus fecerit, infamiam ipso

ipso jure incurrit, ac si nulla diffidatio facta esset. *Aur. Bull. d. l.* sed de jure publico novissimo *in d. Instr. Pac. Osnabr.* placitum & approbatum, ut nulli omnino Statuum Imperii liceat jus suum vi vel armis persequi, sed si quid controversiæ, sive jam exortum sit, sive posthac inciderit, unusquisque jure experiatur, secus faciens sit reus fractæ pacis. *art. 17. versic. Veruntamen.* Et hæc de diffidationibus tanquam minarum connexis dicta sunto, plura benevolus Lector reperiet apud *Carpz. pr. Crim. quæst. 37. per tot. & Jur. For. part. 4. constit. 14. per tot. & Bocer. qui integrum de Diffidationibus conscripsit tractatum.*

§. 17. Quod supra cap. II. §. 3. dictum & probatum, Judicibus licitum esse comminationibus veritatem elicere & partes litigantes ad obsequium compellere, ita accipiendum, ut cautè his utantur, & abundantes ac superfluas caveant, nec facilè in primo termino aut non auditâ alterâ parte comminationes decernant. *vid. controv. & præjudic. Cameralia, quæ inter Gylmanni opera habentur. voc. Comminatio.* ubi Author prolixius docet, quomodo & quibus in causis comminationes decernendæ, ubi tres potissimum recensentur species, quas connumerabo cap. seqv. §. 1. Quodni esset quivis præstanda in infinitum differre & adversarium pariter & Judicem eludere posset; multò minus Judex in Criminalibus sit præceps comminationibus, ne ab executione processus inchoetur, & ne inquisitus aut accusatus inauditus terreatur, neve de legitima defensione desperans innocens ad supplicium trahatur. *vid. Just. Oldecopp. cautelar. Crimin. tit. 4. cautel. 19. n. 7. & seqq. cautel. 23. n. ult. & caut. 24. n. 5. dict. tit. 4.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0061
DFG

CAP. V.
De Minarum Effectu.

§. 1.

MInæ, uti non ſunt unius generis, ſed aliæ neceſſariæ & præceptæ, aliæ permiſſæ, velut jocoſæ, nudæ verbales jactatoriæ, aliæ prohibitæ & interdictæ, velut tales, quæ ex irato & malitioſo animo procedunt, quemadmodum Cap. IV. plenius explicavimus, ita nec unus omnium effectus erit. Neceſſarias quod attinet, cum ad correctionem & emendationem vel ab ipſo DEO vel Lege ſint præceptæ & ordinatæ earum omiſſio peccatum vel delictum & pœnam, commiſſio verò emendationem, gratiam & præmium inferent, quod ut conſtet clarius, exempla id reddent manifeſtum; Sic ob omiſſionem Divini verbi Miniſtri & Præcones animæ periculum ſubire Cap. III. dictum, & felicitatis mundanæ gaudio carere neceſſe habuerunt, imò etiam vitæ amiſſione mulctati ſunt, quod vel duorum ſummorum Sacerdotum *Aaronis* populi Iſraelitici Idololatriam non dehortantis, ideoque terram ſanctam non ingreſſi *Exod. 32. & Num. 20. v. 12.* ut & *Eli* filiorum ſuorum mitioris Parentis, qui, cum impietatem & petulantiam filiorum increpare, iisq; iram DEI minari intermitteret, vitæ ſuæ periculum ſuſtinere & à ſella decidens ultimum ſpiritum emittere neceſſum habuit, ut apparet ex *1. Sam. cap. 2.* Magiſtratus etiam ſi in comminando negligens videbitur æquè ac in puniendo ſi defeciſſet, maledictionis periculum timere habebit ob generale effatum: Maledictus, qui opus Domini negligenter peragit. *Jerem. cap. 48. v. 10.* ſed ſi vi officii eas interponit, non carent effectu, & ſanè ſi effectu carerent, authoritas judiciorum facilè excideret

& ſper-

& sperneretur. *vid. Frider. Pruckmau. vol. 1. consil. 17. num. 77.* ubi inquit: *Scimus enim omnes, nisi authoritas executionis comminationibus juncta fuerit, ea quæ quis comminatur cum mira Reipubl. labefactatione spernantur.* Effectus ergò in citationibus judicialibus erit, ut comminationes insertæ habeant vim peremptorii mandati, vid. præter supra Cap. II. §. 3. allegatos *Pruckman. d. consil. & num. 77. Joseph. Mascard. cum multis alleg. vol. 3. concl. 236. num. 31. & seqq. & Carpz. p. 1. Const. 2. def. 22. n. 4. cum allegato Möllero & Berlichio. Hieron. Schurff. centur. 1. consil. 75. n. 10. per L. ad peremptorium 68. cum LL. seqq. ff. de judic.* inter quas expressè JCtus Ulpianus *in L. in peremptorio 71.* testatur: *In peremptorio comminatur is, qui Edictum dedit, etiam absente diversa parte cogniturum se & pronunciaturum.* Ex qua apparet postlegitimam (i. e. præviâ causæ cognitione factâ) comminationem præmissam parte in eadem obstinatione perseverante, ut Impp. loquuntur in famosa *L. Diffamari 5. circa fin. C. de ingen. manumiss.* Judicem non solùm ad cognitionem, sed quoque pronunciationem seu sententiam progredi posse; & non plures requiruntur ad hoc comminationes seu admonitiones, vel alia nova declaratoria sententia, sed una erit sufficiens, ut *Schurff.* demonstrat *d. consil. 75. n. 11. 12. & 13.* ubi hanc subjicit rationem: quia Judicis authoritas non debet esse ludibrio *L. si Prætor 75. in princ. ff. de judic. confer. Mascard. d. l. n. 31.* ita tamen hæc unica comparata esse debet, ut vim peremptorii habere possit, i. e. ut vitio careat & ultra Legum præscripta non extendatur, hoc enim casu obtinet, quod in *rubr. & Tit. C. Comminationes, Epistolæ, &c.* decisum; quoties enim comminatio Judicis absque legitima citatione eorum, quorum interest, fit, aut causa plenè prius non fuerit cognita, id quod interminatum fuit non consequitur vires rei judicatæ, nec

opus

opus habet remedio aliquo rescissorio sive reductionis aut provocationis, uti videre est apud *Dn. Mev. part. 5. decis. 4. num. 3. & 4. Carpz. in respons. Electoral. lib. 7. tit. 10. resp. 117. n. 6. & seqq.* & novissimè *Gastel. in speculo cap. 158. num. 7. cum cæteris allegatis.* festinanter enim nimis aut præcipitanter, aut tumultuariè, aut corruptè talismodi comminatio interposita esse videtur, adeoq; magis improbanda & rescindenda, quàm executioni mandanda aut viribus rei judicatæ fulcienda *vid. Franc. Pfeil. consil. 158. num. 5. & 6.* Si verò plena & exacta causæ cognitio præcesserit, aut Legis statutum comminandi licentiam suppeditat, comminationibus suum robur minimè detrahendum: Exemplum sit nobis *Novell. 1. cap. 1. §. 1.* ubi hæres à Judice ut Legata intra annum præstet admonendus, & quidem cum comminatione, si non solverit anno per culpam hæredis elapso, ille contumax hæres nec admonitionibus aut comminationibus ex judiciali decreto morem gesserit, privandus erit relictis aliusq; in hæc commoda succedat *d. §. 1. cap. 1. Nov. 1. & cap. 4. princ. vid. Matth. Stephani JCtus & Profess. inclytæ hujus Academiæ in Comm. ad Novell. num. 21.* ex quo simul apparet pœnam indictam ob paritionem intermissam declarari posse, & licet contemptor comminationum legitimarum objicere vellet, ab executione non debere inchoari processum. *L. si cum nulla 58. ff. de re judicat. Gail. 1. obs. 13. n. 1. & de P. P. 1. cap. 5. n. 1. & seqq.* sed novam insuper requiri citationem ad videndũ fieri condemnationem vel allegandum causas, cur hoc fieri non debeat, per *cap. veniens. 15. §. fin. ibi: citationem & purgationem. X. de accusat. &c. Gail. 1. Obs. 15. n. 1. 2. & 3.* nam cum ad pœnæ impositionem agitur, unica citatio non sufficit. *Gail. d. l. n. 3.* ubi pergit: *Eadem obtinent quoad declarationem pœnæ in mandatis Inhibitionum & Compulsorialium simplicium; quia*

arctio-

arctioribus proceßibus inſeritur citatio ad videndum, &c. vid. Graven. ibid. concl. 15. præcipuè num. 4. & 5. per ibid. allegatos. attamen ſtylus Cameræ, quod etiam præallegato Schurffio plàcuit, aliud ſuadet, ſicut etiam hæc ſententia in Comitiis Spirenſibus Anno 1570. pragmaticà ſanctione fuit corroborata. *vid. Gail. & Græven. dd. ll.* Interdum tamen ex ſuperabundanti cum adjectione denuò finalis termini comminatio decerni ſolet, *vid. Gylmann. in dubiis vel præjudiciis Cameralibus voc. Comminatio.* ubi tres facit comminationis ſpecies, (1) ſimplicem, (2) Peremptoriam ſ. finalem & (3) ex ſuperabundanti additam, ubi de his ſpeciebus prolixius & comminationem præcluſionis viæ probandi vel aliud quid agendi fundat in *L. manicipiorum 6. ff. de option. legat. & allegat. Abbas in c. dilectus. n. 4. X. de fid. inſtr. add. L. 8. pr. ff. eod. tit. & ſupr. cap. 2. alleg. §.* Denique comminationem executionis à Magiſtratu factam non infringere obligationem patet *ex L. continet 3. §. ſed vim. 1. ff. quod met. cauſ.* & ita quoque in Scabinatu Jenenſi reſponſum eſſe atteſtatur *Richter. ad L. interpoſitas 13. C. de Transact. n. 10.* & meritò, ſi enim per Judicis, præſertim inferioris, decreta ſe læſum vel gravatum ſenſerit, non præcluditur ipſi via ad ſuperiorem provocandi; vel aliis remediis reſciſſoriis utendi, quemadmodum in ſpecie de comminatione judiciaria absque cauſa prolata appellari poſſe probat *Maſcard. ſupra alleg. loc. concl. 2236. n. 34. cum allegatis Angelo Felino & Franch.* aut habet contra Magiſtratum actionem injuriarum, quid enim metus, minæ, terror, ubi recurſus ad ſuperiorem quotidie patet. *vid. Prückman. vol. 2. conſil. 6. num. 267.* De cætero, ſi ita ad minuendas & evitandas judiciorum moras & ad præcavendam contumaciã partium, ſi ut modo dictum cõminationes à judicibus interponantur, effectu ſuo carere non debeant, expreſſas

eas esse oportet, nam si comminatio expressa non est vel contumax vocatus non sit cum comminatione ferendæ sententiæ in contumaciam sententia ferri nequit, ut pluribus deducit *Frider. Müllerus in pract. rer. forens. Marchica resolut. 119.*

§. 2. Quemadmodmodum Magistratui pro justitiæ executione rectè & impunè minari licitum, imò præceptum, ita quoque privatis, si ejus copia haberi non possit, ad avertendum vitæ periculum, item honoris & bonorum jacturam declinandam minas interponere, imò pro re nata id quod minabatur, etiam efficere permissum, *arg. L. ut vim. 3. ff. de J. & J.* Si enim id, quod magis licitum, nec id, quod minus licitum est, erit prohibitum. *Prückman. vol. 2. cons. 10. n. 49.* ubi probat, ut si minæ juris sui conservandi causa jactatæ sint mandata de non offendendo non indulgeantur, *post Gylmann. in præjud. Camer. Tit. Mandata de non offendendo non decernantur.*

§. 3. Verbales & nudæ comminationes, quæ sine animo malevolo fiunt, uti nullius momenti, ita effectu carent, & quod de his mox dicendum eas non attingent. ut supra *Cap. IV. §. 3. & 4. dictum.* add. *Carpz. p. 4. Jur. For. Const. 15. def. 3. Chassanæ. ad consvet. Burgund. rubr. 3. §. Le Seigneur du Fied. §. 1. n. 14. Mev. ad Jus Lub. part. 4. Tit. 16. art. 4. n. 10. Arumæus ad L. 9. ff. qvod met. caus. Prückman. vol. 2. consil. 10. n. 10. cum allegatis.* Metus equidem debet esse justus & talis, qui salutis, vitæ famęq; periculum vel corporis cruciatum continet *L. isti qvidem 8. §. pen. & ult. ff. qvod met. caus. L. 3. ff. ex qvib. caus. maj. in integr. restit.* Quid autem, si quis nudis minis perterritus fuerit & quid præstiterit, quod lubens non fecisset, an non restitutionem impetrabit? Et negativa forte ex præcedente theoremate generali eliceretur, ad quod facit, quod sibi quis imputare habe-

habeat, quod Panico terrore percuti se passus fuerit: Nam ut Alanus ab Insulis *class. 1. parabol 49.* ait:

Non semper moriuntur aves, quibus insidiatur
Arcus, nec mihi sunt tela nec hasta minæ.

Et certè multi reperiuntur Thrasones, qui aliis ex frivola sæpe causa Satyras & mortem minantur, quorum tamen comminationes stultæ non pluris faciendæ, quàm fulgur ex speculo, vitro aut pelvi, aut quanti nugæ obstetricum & delirantium jam vetularum, *ut sonant verba Carpz. in pr. Crimin. quæst. 29. n. 66.* qui enim ampullas & sesquipedalia verba projicere solent, vanum timorem excitant *L. 4. ff. si cui plus quàm per L. Falcid.* Verùm, cum hæc ita se habeant, quando in nudis verbis minæ perstiterint, nec aliquid facti habeant admixtum, i. e. ut non ultra verba se exsererint, aut alii quid damni injuriæ datum, nec enim cum alterius damno quis locupletari debet. *L. jure naturæ 206. ff. de R. J. cap. 48. de R. J. in 6to. L. nam hoc natura 14. ff. de condict. indeb. Tusch. lit. L. concl. 438.* sed deceptis omninò subveniendum *L. si mulier 23. ff. ad SCtum Vellej.* ideò laborandum, ut deceptiones coerceantur *L. meminerint 6. C. unde vi. Carpz. Respons. Electo. 7. num. 3.* Ad quod facit *L. 33. §. si Dominus 2. ff. de Usucap.* ubi Julianus: *Si Dominus fundi homines armatos venientes existimaverit* (vel rectius *extimuerit*, i. e. venientes viderit & ita periculum imminuerit) *atque ita profugerit, quamvis nemo eorum fundum ingressus fuerit, vi dejectus videtur.* add. *L. 1. §. item Labeo 29. & L. 3. sin quis 6. ff. de vi & vi armat.* Si quis enim saltem audierit armatos adventuros nec eos exspectaverit, ut videret, sed profugerit, vi dejectus non videtur *L. 9. ff. quod met. caus. & Gothofr. in jam allegat. LL. vid. quoque Arumæum disp. 6. th. 6. Pac. 2.* ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΩΝ *cap. 70.*

§. 4. Quod ergo minarum atrocium effectum attinet,

net, primus est, quod metum incutiant & terrorem adferant menato. *Dd. in L. metum 9. C. quod met. caus. Hippol. de Marsil. in pract. Crim. §. diligenter. num. 87. pag. m. 131. Franc. Pfeil. vol. 2. cons. 195. n. 17. Fontanell. de pact. nuptial. part. 3. clausul. 7. gloss. 2. n. 37. & seq. pag. 432. Pruckman. vol. 2. consil. 10. n. 31. Cravett. part. 3. cons. 461. n. 9. Arum. ad π. L. 9. quod met. caus. Dion. Gothofr. ad L. antepenult. ff. de extraord. crimin. Idem ad L. 4. ff. si cui plus quàm per L. Falcid.* & communiter textus sunt *in L. 3. ff. quod met. caus. L. 3. ff. ex quib. caus. maj. d. l. antepen. de extraord. crimin. L. 13. C. de transact.* quando tria concurrunt, (1) quando periculum commenatum instans est magnum de persona seu vita & libertate, e. gr. si aliquis comburere velit instrumenta status vel libertatis, quia servitus æquiparatur morti. *gloss. Accurs. in L. 7. C. de his, quæ vi met. caus. add. Wesenb. in paratit. tit. quod met. caus. n. 3. pag. m. 295.* vel de bonis aut omnibus aut maxima eorum parte. (2) quando inferens est potens, cui resisti non potest, & cui minas exequi, haud difficile est. (3) si verba comminatoria exequi solitus sit. *Ægid. Bellameræ consil. 9. n. 10.* quem sequitur *Cravett. part. 1. consil. 49. n. 1. & Roland. à Valle vol. 2. consil. 83. n. 28. Tusch. pract. conclus. vol. 5. lit. M. concl. 215. num. 12.* nam vani timoris justa excusatio non est. *L. 184. ff. de R. J. ibiq; Dd.* & illusoriæ minæ non curantur *d. L. 4. & ibi gloss. ff. si cui plus quàm per leg. Falc.* cum nec ad solum sonum cymbali fugiendum sit. *Roll. à Vall. d. l. n. 30.* Qua de causa si hæ minæ atrociores allegantur, antea probandæ sunt, ceu aliæ res facti. *de quo in Cap. seq.*

§. 5. Ostendunt quoque minæ animum delinqvere volentis, unde affectus pro effectu habetur, inde si quis insurgit contra aliquem, Lex præsumit, quod velit eum occidere, *per L. is qui cum telo 7. C. ad L. Corn. de Sicar. & L. 1. ff. eod.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0068
DFG

ff. eod. ibi: nam si gladium strinxit & in eum percusit, indubitatò occidendi animo id eum admisisse *Bart. lib. 2. consil. 16. n. 1.* ubi Thomas Diplovatatius, JCtus Constantinopolitanus notat: Quod si quis cum cultello contra aliquem insurgat, occidendi animum probari & insultatum ita in discrimine vitæ constitui evincitur *per L. 2. & 3. C. de Sicar.* Ergo si quid fecerit insultatus, præsumitur ad sui defensionem fecisse *per Bartol. in dict. consil. & Thom. Diplovatat. citat loc.* nam sufficit terror armorum ad hoc, ut aliquis vim passus esse dicatur *per L 3. §. qui armati 5. ff. de vi & vi armat. Manz. in singular. voce Periculum quodvis. pag. 267. num. 19.* & paria sunt producere libellum minatorium accusationis vel libellum accusationis *Manz. d. l. n. 20. per text. in L. miles. 11. §. socer 3. ff. ad L. Jul. de adulter.* & idem operatur timor litis quod ipsa lis, quoad transactionem faciendam *per text. in L. 1. C. de transact. L. causas 16. eod. & L. 3. ff. eod.* Et minæ bellorumq; apparatus faciunt justam bellandi causam, si quis ob metum ex minis & apparatu aliorum sine bello securus esse non possit. *Boxhorn. Polit. lib. 1. cap. 12. n. 6.* Unde colligitur justam indictionem belli censeri non tantùm adversus irrumpentes, sed etiam irrupturos, privata namque defensio tum demum justa censetur, si alterius offensio præcesserit, publica autem ante alterius offensionem justa existimatur. *Le-bleu in Carologia pag. 69.* Si ergo Rex vel Princeps vicinus nullâ novâ causâ præcedente arces in finibus struat, non tuendi sed nocendi causa, insolitasq; copias conscribat, justisque satis indiciis constet, in non alium, quàm in vicinum Regem vel Principem parari, animum delinquere volentis & atrocium minarum satis ostendit *Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib. 3. cap. 20. num. 40.* quod de hodierno Galliæ Monarcha Ludovico XIV. ob fortalitii extructionem Hünningen ad Rhenum

non sine causa metuendum est, hinc durante Triumvira-
tu (Carolo V. Imperatore, Francisco I. Galliæ & Hen-
rico IIX. Angliæ, Regibus) nemo exercitum conscripsit,
vel quicquam tentavit, vel terræ palmam acquisivit,
quin reliqui duo statim rem ad æquilibrium deducerent.
Le-bleu dict. tract. pag. 68. & hæc est causa, quare hodiè Im-
perator cum Electoribus cæterisq; Imperii Statibus vi-
gilantissimis oculis Galliæ Regis tumescentem potenti-
am & malevolos seu suspectos conatus observent. An
autem hic animus delinquere volentis seu crescens vici-
ni Principis potentia sit satis justa inferendi belli causa,
disputat *Grot. de J. B. & Pac. lib. 2. cap. 1. n. 17. & cap. 22. n. 1.*
qui minimè illud ferendum esse dicit: sed si ex alia causa
justum sit bellum, ex crescente vicini Principis potentia
prudenter quoque susceptum esse judicat. Sed rectè *Dn.*
à Felde ad d. n. 17. asserit: quod ex metu vicinæ potentiæ
Principes bella suscipere cogantur, quia Imperia & Gen-
tes non coierunt in societatem nec judicia constituerunt,
qua de causa cuilibet periculo, quod metuitur, quovis
modo obviam ire tenetur, ne damnum inferatur, quod
postea corrigi nequit. Melius est in tempore occurrere,
quàm post vulneratam causam remedia quærere. *L. 1. C.*
quand. lic. unic. se sin. judic. vindic. Inde *Nicephorus libr. 5.*
Oportet, inquit, *qui circa periculum velint vivere,*
eos occurrere impendentibus malis & antevertere,
nec esse cunctandum aut expectandum, ut acceptam
injuriam cum periculo ulciscaris, si in præsentia
crescentis plantæ radicem præcidere possis, & ad-
versarij malè cogitantis conatus opprimere. *A Felde d. l.*

§. 6. Minæ similiter injuriam inferunt. *L. item apud*
Labeonem 15. §. 1. ff. de injur. Bartol. Bertazoll. part. 1. consil. cri-
min.

min. 108. n. 1. per allegat. alios Dd. ubi *Claud. Bertazoll. in addit.* hoc meritò restringit, si verba minatoria per se fuerint injuriosa, (nam jactatoria verba sunt inania, nec justum metum incutere possunt, ut supra tradidi:) præprimis si comminatio sit periculosa & talis, ut non immeritò timenda, vel ob qualitatem & maliciam comminantis, vel ob qualitatem & nequitiam suorum vel Parentum vel amicorum, quos ob minas illatas & ob famosam maliciam metuit, ne illas in effectum deducant. *Damhoud. pr. Crim. cap. 136. n. 13. & 14.* sin verò ad sui defensionem & in facto prohiberi licito verba comminatoria & injuriosa protulerit, puniri non debet, quia in dubio ad prohibendam turbationem facta præsumuntur, quando contra turbantem proferuntur, non enim verborum qualitas, sed animus inspiciendus. *Tusch. tom. 5. pract. concluss. 236. lit. M. confer §. præced. ab initio.*

§. 7. Indicium quoque faciunt minæ contra minantem. *Barthol. Bertazoll. part. 1. consil. crimin. 116. n. 18.* in tantum, ut si quis Cajum de interficiendo minatus fuerit, & Cajus appareat modico tempore post interfectus, præsumatur ab eo factum, qui minatus est. *Alexand. consil. 180. Tusch. lit. M. concl. 236. Chassanæus ad Consvetud. Burgund. des fieds, Rubr. 3. Le Seigneur du fied. §. 1. Christinæus ad consvetud. Mechlinens. Tit. 4. art. 5. n. 4.* Sed ne innocens damnetur, præcitati Dd. Advocatos hoc casu seriò monent, ut in probando metu & minis deducant qualitatem inferentis minas & metum, an fuerit potentior, severus, quicq; id, quod minatus est, re ipsa præstare consuevit, & quod minacem vultum, terribilem & perhorrescentem gesserit, deinde quod persona, cui minæ fuerunt illatæ, fuerit fœmina, vel etiam si masculus fuerit, quod erat timidus, mansvetus, mitis & cui facilè terror incuti potuerit,

quodq;

quodq; verisimiliter actum non fecisset, aut actui non consensisset, si minæ non occurrissent, vel timore vel terrore ad hoc agendum inductus non fuisset, add. *Mascard. de probat. conclus. 1054. n. 7.* suspectum enim satis se reddidit minator per malos eos mores *Gail. l. obs. 148. n. 7.* imò auget hanc suspicionem præsens corpus delicti, in quo in individuo effectus minarum apertius patet, ut adeò ex edoctis minis & subsecuto eventu dubium ullum vix superesse possit, quod & lugubre exemplum apud Christoph. Schörern in *Medicina peregrinantium pag. 20. & seqq.* notatum, non absque dolore legendum, luculenter comprobat, ubi refert: Vixisse priori seculo 1584 Leodii (Lüttich) ebriosum, qui sæpissimè in tabernis, quando vino obrutus fuit, uxoris suæ Agnato seu Patruo, ejus loci Canonico pio & modesto mortem minatus, ex ratione frivola, quia pecuniam ad ludendum sufficientem præbere nollet; huic Canonico aliquandiu à Tabellario traditur epistola, qui benignè ab eo excipitur & pernoctatur, ingratus verò ille cuculus media nocte Canonicum cum duobus ejus Nepotibus trucidavit. Alterâ die cum quivis Canonici pii in horis absentiam miretur, janua ejus prius pulsatur, quæ dum à nemine aperitur, scala ab ebrioso fenestris admovetur, qui statim viso Canonico ejusq; nepotibus interfectis, vicinos adstantes homicidiorum perpetratorum certiores reddit. Magistratus Leodicensis hac re comperta, præprimis quia ebriosus Dn. Canonico non semel internecionem minatus fuerat, eum, justâ suspicione ductus, captivum carceri inclusit, torturæq; subjecit; ebriosus verò, utrum tria illa homicidia commisisset, ob continuam ebriositatem se ignorare asseruit; confessus equidem est, se Canonicum interficere sæpè in animis habuisse, minimè verò

rò ejus Nepotes, hoc verò non obstante, ad mortem condemnatus, ita, ut ignitis forcipibus primò laceratus, paloq; affixus & sic igne crematus miserrimè vitam finire coactus fuerit; hæc cum adstans Tabellio verus homicidiorum reus vidit, executione in innocentem jam peractâ, Magistratum, conscientia demum ductus, adiit, secq; verum Homicidam esse liberrimè fassus est. Tremendum sanè exemplum! si tamen huic ebrioso defensionis suæ rationem proponere permissum, nec ipsi, ut nec aliis defensionis via, aliàs satis favorabilis, uti ex Jure divino, naturali & civili demonstrat *Carpz. pr. Crim. qv. 28. n. 3. & seqq. & Zoanett. tractat. defensionis tripartit. part. 1. n. 18. & seqq.* denegata fuisset, aliter procul dubio res cecidisset. Verùm si non ob hoc, sed aliud fortè crimen justum DEI judicium experiri habuit.

§. 8 Imò, quod magis est, minæ præbent indicium ad torturam contra minantem, seqvuto delicto in personam, in quam minæ fuerant illatæ. *art. 25. vers.* zum fünfften. *& art. 32. Constit. Carol. ibiq; Dn. Matth. Steph. Zieritz. & Manz. Prosp. Farinat. oper. Crimin. quæst. 50. n. 1. Cavalcan. de brachio Regio part. 3. n. 96.* nam animus & voluntas cujusque non solùm ex rebus & factis *L. si tamen 48. §. ei qui 3. ibiq; gloss. Accurs. ff. de ædilit. edict.* sed etiam ex verbis præsumitur, quia non est credendum, quod quis verbo exprimat id, quod prius mente non cogitavit. *L. Labeo 7. §. 2. ff. de supellect. legat.* Unde præcedentibus minis & seqvuto delicto facilè contra minantem est præsumendum, secundum *Gaudin. in tit. de præsumpt. & indic. n. 23.* nam animum præ se ferunt deliberatum atque sunt signa præmeditatæ cogitationis, si is, cui factæ sunt, reperiatur mortuus. *Mascard. de probat. vol. 2. concl. 1060. n. 5. conf. §. præced.* quod omnes Criminalistæ unanimiter statuunt, teste *Mascard. d. l.*

n. 1. ſed regula hæc, quia generalis, locum habet (1) ſi homicida certus & occiſo antea minatus eſt de occidendo, tum enim præſumitur deliberato animo homicidium perpetratum eſſe, & certo jam exiſtente delinquente, indicium ad torturam facit, quia ex malignitate & pravitate animi delictum ſubſecutum arguitur *Farinac. d. l. n. 2.* & in eodem genere mali minæ in effectu ſequutæ *Manz. add. art. 25. Conſt. Carol. n. 44.* (2) Si minis præcesſerit capitalis inimicitia, vel inceſſabile aliquod odium, e. gr. ſi inimicus meus de imponendo igne mihi minatus fuerit, illudque per teſtes probari poterit, quæ minæ etiam per teſtes fiſci probantur, qualem caſum refert *Cravett. tom. 1. conſil. 35. n. 1. dict. art. 25. Conſtit. Carol.* optimè tamen hoc reſtrinxit *Matth. Steph. in Comment. ad Conſt. Crim. ad hunc artic.* niſi reconciliatio intervenerit, per *Jul. Clar. pr. Crim. qv. 21. verſ. inimicitia.* nec enim ex ſolis inimicitiis capitalibus ad torturam quenquam Judex condemnare debet, cum experientia & hiſtoriæ teſtes ſint ob ſolam inimicitiam torturæ ſubjectos, vi tormentorum ſæpè delictum confeſſos & inſontes condemnatos, ſontes verò impunè evaſiſſe. Oportet ergo, ut alia concurrant adminicula, ut fama, fuga, & ſimilia, vel in ſpecie teſtes, juſtam inimicitiarum vel odii cauſam reddentes, aliàs Judex ad torturam ceu extraordinarium remedium facilè procedere non debet. *Matth. Steph. d. l. ad d. art. 32. & 44. ibiq; Dd.* Reſtringitur verò hæc regula *primò*, ut non ſemper faciant indicium ad torturam, ſed tum demum, ſi is fuerit perſona potens, malæ famæ & vitæ ſcil. in eodem genere mali aut exequi ſolitus, aut in quem ſiniſtra opinio de minis exequendis cadere poteſt. *Jul. Clar. §. fin. qv. 21. n. 37. Menoch. de præſumpt. lib. 1. qv. 89. n. 60. art. 32. Ordin. Crimin. verb:* und wäre es eine ſolche Perſon/daß man ſich derſelben That zu ihr verſehen mag.

ibiq;

ibiq; Dn. Matth. Steph. Carpz. pr. Crimin. qv. 121. n. 54. confer §. præced. (in dubio autem si minans est miles vel juvenis bellicosus, præsumitur velle in continenti exequi. *Farin. qv. 125. tit. 14. n. 70.*) vel magnam comitivam ducens *Honded. 1. consil. 107. n. 3. 44. & seqq.* & sic personæ qualitas maximè consideranda. *Farinac. d. l. n. 9. Secundò*, quando occisus alium habuit inimicum præter minantem, potuit enim contingere, ut non à minante, sed ab alio adversario delictum fuerit commissum, præprimis si alius inimicus ejus rei notitiam habuerit. *Farin. d. l. n. 12.* uti notabile exemplum refert *Nicol. Boer. decis. 166. num. 3.* quod mulier quædam per fenestram prospiciens alicui prætereunti, quem odio prosequebatur, dixerit: Crura tibi succidi curabo, quas minas cum alius inimicus ejus, cui mulier minata fuerat, audisset, arreptâ occasione vulneribus eundem confecit, ipsam verò mulierem probatis illis minis captam fuisse & tormentis suppositam, quorum cruciatu confessa, suo mandatu illi homini vulnera illata esse, proinde ipsam supplicio fuisse affectam: at paulò post innocentiam ejus detectam esse. *Boer. d. l.* *Tertiò*, si delictum in continenti aut paulò post fuerit commissum, brevitas enim temporis in his & similibus est magni effectus. *Farin. d. l. n. 14. art. 32. Ord. Crimin. ibi:* Solche Mißthat vor der Geschicht zu thuen gedrohet hätte / und die That auch in kurtzer Zeit erfolget wäre / exemplum præbet *Dn. Mev. in consil. nuper edit.* si venefica minatur, & morbus sive aliud damnum paulò post subsecutum *cons. 30. n. 17. & consil. 104. n. 8.* modicum autem tempus, quia in Jure determinatum non est, Judicis arbitrio ex qualitate personarum & circumstantiarum dijudicandum relinquitur. *Matth. Steph. ad d. art. in fin.* *Qvartò*, si illud ipsum delictum, quod menatum, in specie subsecutum *d. artic. 32. Constit. Carol. verb:*

Solche Missethat/ ꝛc. & *art. 44. verb:* oder jemand zu bezaubern bedrauet und dem Bedraueten dergleichen geschicht. *ibiq; Dd. & Dn. Mev. dd. cons.* v. g. si minatus occisurũ, sequatur occisio, si cum minatur verberaturũ, sequatur verberatio, si cum minatur vulneraturũ, sequatur vulneratio, & sic de singulis *Natta lib. 1. cons. 42. n. 2.* sed hanc restrictionẽ non absolutè veram esse demonstrat *Farin. d. qv. 50. n. 24.* ubi in fine dicit, se non dubitare, quin minæ faciant indicium ad torturã, etiam quando non in specie, sed in genere sint prolatæ, & quod de eo dubitare sit res periculosa, cùm vulnera non dentur ad mensuram. *Qvintò* in minis ex lubrico lingvæ per iracundiam prolatis, & *Sextò* in minis conditionalibus. De quibus & aliis restrictionibus seu limitationibus *vid. Farin. d. qv. 50. num. seqq.* ubi fusissimè hanc tractat materiam, ex quo & aliis Dd. principaliores paucis verbis delibasse sat esse existimo. *adde Dn. Mev. cons. 30. n. 82.*

§. 9. Promissio per minas extorta, licet de mero Jure civili servanda, Jure tamen prætorio invalida redditur, dum prætor beneficium restitutionis in integrum menatis indulget, idq; procedt, quamdiu metus causa durat, licet ratihabitio extra metum præsentem facta sit *Bertazoll. consil. crimin. 434. vol. 2. n. 26. Pantschman. part. 2. q. 22. n. 24.* per regul: Catonianam: Quod ab initio vitiosum existit, tractu temporis non potest convalescere. *L. 29. & pen. ff. de R. J. c. 16. eod. in 6to.* quæ regula non tantùm ad testamenta & ultimas voluntates est restringenda, sed ad alias etiam obligationes extendenda, quoniam æquè in his ac aliis principium ut potissima cujuscunq; rei pars spectatur *L. 1. ff. de O. I.* & hoc non valente nec valebit principiatum seu superstructum, quoniam effectus sua causa non potest esse melior, & omnis obligatio metu contracta rescinditur, licet præsens metus mortis non sit. *Brunman. ad L. 7. C. de his quæ vi metusve*, cum igitur in omni

con-

conventione seu contractu requiratur utriusque consensus. *L. 1. §. 3. ff. d. pact.* consensui autem nihil tam contrarium quàm error, dolus vis atque metus, quem comprobare contra bonos mores est. *L. 116. ff. de R. J.* hinc si Mevius Cajum minis eò adigat, ut metu mortis, cruciatus corporis vel amissionis fortunarum ipsi mille dare promittat, semper habet exceptionem, quod metus causa. *per elegant. text. L. si quidem 9. C. de contrab. & committ. stipulat. ibiq; Brunman. L. 1. quod met. caus.* non quidem contractus sive bonæ fidei sive stricti juris metu initus per se ipso jure nullus est, sed mediante restitutione rescindendus. *L. ult. §. 1. quod met. caus. L. 4. & 5. C. eod. junct. L. 9. §. 3. ff. eod. Dn. Struv. Syntag. Jur. Civil. exerc. 8. th. 11. & omnes Dd. ad tot. tit. ff. & C. quod met. caus.* ubi fusissimè hanc tractant materiam. Sufficit n. initium retractari, & nullitatis effectum esse, non producere successū. Qui minarum effectus ut eò clarior reddatur, etiam per alios casus vel quæstiones explanabitur. Experientia testis est, quàm sæpissimè liberi imprimis verò filiæ ad contrahenda sponsalia vi ac minis adigantur, sed an de jure subsistant & consummari debeant, quæritur? quod nemo facilè affirmaverit, quia ex omnium Theologorum & JCtorum voto consensus contrahentium requiritur liberrimus & spontaneus, per elegans *cap. cum locum 14. X. de sponsa. & matr. Joh. Harprecht. ad rubr. Instit. de nupt.* qui est de substantia & quasi causa efficiens matrimonii, ut inde rectè dicatur, quod nuptias solus consensus faciat. *L. nuptias 30. ff. de R. J. & can. sufficiat 27. qv. 2.* & hic debet esse purus, integer, liber & voluntarius consensus, ita ut omnis vis, timor & minæ exulent. *d. cap. cum locum 14. X. de sponsal.* ubi dicitur: cum locum non habeat consensus, ubi metus & coactio intercedit, necesse est, ut ibi assensus cujusque requiratur,

coactionis materia repellatur. *Schneidw. d. l. n. 20.* adeò ut si ille omissus, opus non sit, quod matrimonium rescindatur actione quod metus causa *gloss. in L. 1. §. fin. in verb: non valet. ff. de auctorit. & consens. tut. Brunman. ad L. 22. ff. de rit. nupt. n. 1. Schneidw. d. l. n. 22.* sed ipso jure nullum est. *Gail. 2. obs. 93. n. 1.* Et licet coacta voluntas etiam voluntas dicatur. *L. si mulier 21. ibiq; gloss. quod met. caus.* tamen in nuptiis hoc fallit, teste *Panormit. in cap. majores 3. §. fin. X. de Baptism.* & plus quàm notorium est, quàm difficiles exitus tales nuptiæ habere consveverint. *cap. requisivit 17. & in cap. gemma 29. X. de sponsal. L. pen. §. fin. C. eod.* Insignem & notatu dignum casum refert *Nicol. Reusner. lib. 1. consult. 6.* de Parente quodam, qui filiæ suæ Titiæ planè ignaræ à Cajo stipulatus est nuptias, quas Cajus promisit, quapropter Pater Cajo arrham proxeneticam dat, hæc dum gesta, filia Titia consensu Matris, inscio verò Parente, promisit Sejo matrimonium, ab eoq; arrham sponsalitiam accepit, qua de causa Pater re compertâ graviter filiæ indignatur, additâ comminatione, si cum alio quàm Cajo iniret matrimonium, illam non solùm dotem, sed & totum patrimonium perdere debere, quibus minis filia territa & commota Cajo quamvis invita & repugnans nuptias promisit; ideoq; non diu post facti pœnitentiâ ducta, sponsionem invitam minis prædictis extortam revocavit; hinc cum Cajus & Sejus Titiam de promissis nuptiis accusarent eamq; utercq; sibi uxorem desideraret, dubitatum fuit, cui dari deberet Titia, Cajo an Sejo? & decisum: Neutri Titiam nubere debere, ex ratione, quia non sunt legitima sponsalia, quæ vel Pater sine consensu filiæ familias, vel filia sine auctoritate Patris, in cujus potestate erat, contraxit. *§. 1. Inst. de nupt. L. sponsalia 11. cum 2. seqq. ff. de sponsal. L. 2. & L. nuptiæ 18. ff. de rit. nupt. cum similibus*

libus ibiq; Dd. vide Reusn. dict. consult. qui pro & contra hunc casum plus quàm vulgariter doctè tractavit, ut legi & observari mereatur, mihi enim propter pagellarum angustiam, ne totum tractatum conscribere velle videar, omnia adducere non licet, ideò benev. Lectorem eò remitto. Sed metus talis esse debet, qui in juvenem vel virginem constantem cadit, nam & minis aliisq; ex causis justus potest inferri metus *vid. Georgij Beati sentent. matrimon. part. 1. cap. 10. pag. m. 30.* quod Judicis relinqui solet arbitrio, sed minor tamen metus in fœmellis & mulieribus propter sexus fragilitatem *L. 2. §. 2. ff. ad SCtum Vellej.* quàm in viris exigitur *Gail. 2. obs. 93. n. 7. & 9. Beat. tractat. de sponsal. cap. 2. n. 26. & 27.* hinc motus *Boer.* ut statuerit, quod sola comminatio sit justus in mulieribus metus. *decis. 100. num. 2.* Ex quibus satis perspicuum, metum reverentialem non impedire contracta sponsalia sacerdotali copulâ consummare, cum talis metus non sit, qui in juvenem vel puellam constantem cadere potest, nisi metui reverentiali metus facti, qualis est verberum, cruciatus corporis, &c. accesserit, tunc enim non valent. *text. in L. si patre cogente 22. ibiq; gloss. & Brunmann. n. 11. ff. de rit. nupt. Carpz. Jurispr. Eccles. lib. 2. def. 30. n. 14. Cypr. de sponsal. cap. 13. n. 18.* atque perinde est, sive expressè sive tacitè filius vel filia consensum manifestet, si modò sponsalibus, quæ Pater filii nomine in præsentia ejus contrahit, non contradicat? quod tamen limitatur, ut filii tacentes non habeantur pro consentientibus, si certò certius constet, ob metum reverentialem filium tempore sponsaliorum tacuisse. *Schneidw. d. l. n. fin.* quod notabile & singulare dicit *Felin. in cap. 1. n. 8. X. de offic. & potest. Jud. deleg.* nec caret hoc ratione, equidem in arduis & magni momenti rebus tacens pro consentiente minimè reputatur *L. invitum. 5. ff. de*

5. ff. de servitut. urban. prædior. L. in eo 45. §. pen. ff. de rit. nupt. Menoch. de præsumpt. lib. 6. qv. 99. n. 53. Eachina. controvers. lib. 8. cap. 64. Cui accedit, quod si tacens voluisset, non tamen potuisset impedire *arg. L. si fidejußor 6. C. mandati. Menoch. d. qv. 99. n. 15. & consil. 58. n. 65. Mascard. de probat. concl. 1158. n. 47.* & licet videatur hoc modo vel mille sponsalia subverti posse, ut putat *Gail. d. l. n. 24. & seqq.* tamen prudens Judex facilè considerabit, ne promiscuè ea dissolvat, sed accuratè attendat, an Parentes sint rudes & in liberis asperi, ut eos magis timeant, quàm ament & diligant. Singularis contigit casus Rostochii ante annos (nî fallor 50.) ubi pistoris filia à duobus etiam Pistoribus, uno divite, sed aspero & morosо, altero verò juvene, licet egeno, moribus tamen & ingenio filiæ aptiore & convenientiore, simul in matrimonium petita. Pater, auri sacrâ fame captus diviti Proco, dissentiente filiâ, promisit nuptias, quas cum consummare filia recusaret, primò verberibus, postea juramento ad consensum compellitur, adeò ut si ad Consistorium causa deferretur, se consensum non revocaturam. Sed appropinquante die nuptiali cum in Ecclesia & cœtu fidelium de consensu quæsita, dissensum expressis verbis, addita causa nempe verberum & juramenti, quibus domi à Patre coacta fuisset, significavit; jam verò se esse in tali loco & statu, quo Pater assensum violenter exprimere erubesceret, ne igitur re infectâ discederent, cum prandium connubiale erat paratum, alterum Procum, qui tum temporis etiam aderat, accedere petiit, cum quo matrimonium sacerdotali copulâ consummatum, ita ut dives summa cum lætitia Templum ingressus, inops verò hilaritate singulari unà cum sponsa ad domum connubialem deducta & egressus. Cum ergò, ut dictum, vi ac minis atrociori-

bus

bus extortus consensus nullatenus obliget; sequitur inde, si scholaris vel alius juvenis repertus de nocte in domo & lecto alicujus puellæ metu vel minis mortis aliorumq; cruciatuum per Patrem vel alios consanguineos coactus sit cum aliqua matrimonium contrahere, tale matrimonium ipso jure non valere, nisi ex post facto accesserit spontanea cohabitatio vel copula voluntaria. *cap. ad id. 21. & cap. consultationi 28. ibiq; Panormit. X. de sponsal. Carpz. Jur. Consistor. lib. 3. tit. 4. n. 3. 4 5. 6. & 17.* sed contrarium verius esse existimat *Sanchez. de matrimon. lib. 4. disp. 12. n. 14.* nisi astutia puellæ talis Comœdia adornata fuerit, ut maritum consequeretur. *Brunman. ad d. L. si patre cogente 22. ff. de rit. nupt. n. 7.* in qua opinione etiam est *Cypræ. de sponsal. cap. 13. § 26.* dolus enim nemini patrocinium præbere debet. Sed quod utraque sententia certo respectu subsistere possit, *vide fusius ap. Brunman. d. l. n. 9. & 10.* ubi scil. ita concludit; si præcesserit vel accesserit copula inter personas habiles & non multum inæqualis conditionis, matrimonium non adeò coactum, sed spontaneum meritò audiat. Quid autem si non tantùm ad consentiendum, sed simul etiam cocundum fuerit coactus, utrumque nihil conferet, nam hoc utrumque nullitatis vitium non purgabit, per rationes ante allatas, & ita memini aliquando juvenem honestæ familiæ à prostibulo quodam seductum & corruptum & copulatum, sed prudentiorum consilio ab eo promissum & per copulam & benedictionem sacerdotalem contractum & perfectum matrimonium pro nullo fuisse reputatum, imò etiam à Consistoriis separationem secutam. Non possum non hìc subjicere alium ridiculum casum, qui contigit Lugduni Batavorum, ubi Studiosus inventus in lecto cum filia à Patre fabro ferrario, qui statim ferro cadente cum u-

xore & servis arrepto desponsationem matrimonii non solum verbis, sed etiam scriptis Studioso extorsit, qui verò cali dissimè metu cruciatus corporis subscribebat nomen. *Johannes vi coactus*, atque haud multò post clam ejus domui se subduxit; simplex ille Faber nomen Studiosi verum tale esse existimans, quotidiè ejus reditum exspectavit, usque dum, eo diu emanente, Advocato cuidam hanc Syngraphan ostendit, qui visâ schedulâ calliditatem Studiosi ipsi demonstravit, ita ut nuptiæ *cum Johanne vi coacto* nunquã fuerint secutæ. *vid. Joh. Catsii Howelyck part. 2. pag. m. 271. & seqq.* Alios non dissimiles casus referunt *Alex. consil. 98. & Tusch. vol. 5. lit. M. concl. 215. n. 15. & concl. 216. n. 22. & seqq.*

§. 10. Jam transimus ad ultimas voluntates seu Testamenta, circa quæ etiam minæ intervenire solent, inde non sine utilitate quæritur; An Testatorem vi vel minis ad testamentum condendum cogere liceat? Cum testamentum sit voluntatis nostræ justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri vult *L. 1. ibiq; Gothofr. ff. qui testam. fac. possunt.* & quilibet rerum suarum justus moderator & arbiter *L. in re mandata 21. C. mandat.* inde etiam quivis in testamento pro lubitu disponere potest, ita ut ejus voluntas pro lege habeatur. *Schneidw. pr. Inst. de testam. ordinand. num. 5.* & inhumanum esse videtur vivos habere licentiam disponendi de rebus suis, eam autem morientibus denegare, unde sequitur, illi, qui hereditatem ex testamento captat & aliud fieri prohibet, hereditatem tanquam indigno auferri & defunctum ab intestato discessisse facere, & licet videatur testamentum quidem subsistere, sicque non hæredibus ab intestato, sed fisco applicandam esse hæreditatem ex minis minanti delatam per *L. 1. pr. ff. si quis aliquem testar. prohib.*

vel

vel coeger. tutior tamen ac æquior imò voluntati ad testandum compulsi, quæ ante omnia inspicienda & seqvenda convenientior doctrina *Carpz. Jurispr. For. part. 3. constit. 5. def. 16.* & ab ipso commendati Pantschmanni; cum jus quæsitum sine causa ab intestato venientibus per Fiscum non sit auferendum. Sin verò hæredes ab intestato non adsunt, tunc non minatori, sed fisco rectius applicatur, *per d. L. 1. in pr. ff. si qvis aliqv. test. probib. vel coeg. adde Menoch. d. A. I. Q. cas. 395. num. 6. 7. & 14.* qui cæteris accuratius & majori cum diligentia materiam hanc examinavit, *teste Pantschmanno part. 2. qv. 22. n. 29. & 30.* Nec multum à violenta coactione differt dolosa persvasio, nam etsi blandis & dulcissimis verbis ad institutionem hæredis faciendam aliquem permovere in jure permissum *L. fin. ibiq; Brunman. n. 1. ff. si qvis aliq. test. probib. L. fin. C. ibiq; Brunman. n. 1. & 2. eod. Hartm. Pist. part. 1. qv. 29. n. 1. Mev. ad Jus Lub. lib. 2. tit. 1. art. 4. n. fin. Carpz. part. 3. const. 5. def. 7.* non tamen metus violentiæ concurrere debet, ut verbera, vel mordentes & compellentes persuasiones, dolus & aliæ fraudulentæ machinationes. *L. 1. §. persvadere 3. ff. de serv. corrupt.* de quibus tractat *Carpz. d. l. def. 9.* e. gr. si amorem conjugalem deneget, nisi se instituat. *vid. Brunman. ad L. fin. ff. d. tit. n. 4. & 9.* si testamentum conficiat vel non conficiat, in sua infirmitate derelinqvetur. *Farin. pr. crim. qv. 161. n. 35.* item interficiam te, nisi me vel Titium hæredem instituëris *Farin. d. l. n. 21.* sæpè enim morituri & agonizantes vexantur ab uxoribus, amicis, apud Romano-Catholicos à Monachis illorumq; Ordinum hominibus & aliis, ut hoc vel illud faciant, sed tales suggestiones authores suos nihil juvant. *Dauth. de testament. tit. efficiens Testamenti n. 23.* & sufficit, quod verba & minæ præcesserint ipsum Testamentum, licet tempore testamenti non

intervenerint, quia durat adhuc eadem causa metus. *Bart. in L. fin. n. 16. si quis aliqu. testar. prohib. Farin. d. l. n. 36.* ed minæ filii exheredati, dicentis se velle agere querela inofficioti testamenti, sunt elusoriæ & non timendæ. *gloss. Accurs. ad L. 7. ff. de petit. haredit.* sed comminatio patris, se velle exheredare filium, inducit præparationem querelæ *L. 6. § fin. & L. seq. ff. de inoffic. testam. n. 8.* & comminatio filiæ facta fratribus de petenda parte hereditatis inducit aditionem in ea, ut sic decedente matre transmittatur petitio ad ejus filios *dd. leg. ibiq; Bart. & Gothofr. in not.* Quando itaque comminationes & clausulas comminatorias testamentis inseri frequens est, non immeritò quæritur; Si Pater commineturr, ut filius contentus sit relicto, & si eo contentus esse nolit, perdere debeat omnia relicta, an non obstante comminatione legitimam vel ejus supplementum petere possit? & affirmat post alios *Pruckman. vol. 1. consil. 48. n. 57. & seqq.* nec favor testamenti Parentis inter liberos, neque præsumptio, quod optimum consilium pro liberis capere videatur, hoc naturale debitum ejusq; petitionem tollunt. *Dn. Mev. ad Jus Lub. lib. 2. tit. 1. art. 8. n. 9.* Sin legitima minima saltem velut de Jure Lub. est, 8. solidi & 4. nummi, an valeat talis comminatio testamentaria? Et affirm: *Dn. Mev. d. l. n. 12.* In cæteris causis hereditatis nudæ voluntati Testatoris standum, cum, uti quisque rei suæ legassit, ita jus esto secund. XII Tab: LL. cautum reperiatur, & comminationum vis non coarctanda.

§. 11. Cum in hac mundi fece homines plus quàm olim avaritiâ capti, ad acquirendum sint avidissimi, parumq; curent, justo sive injusto titulo, bonâ an malâ fide, num vi, clam vel precariò rem adipiscantur, ipsisque perinde sit, modò rem habeant, etiamsi interrogati, quo titu-

titulo posſideant, nihil aliud reſpondere posſint, quàm quia posſidemus ſive habemus, ideoq; ſæpe unus ad donandum facile alterum adigit & compellit; ſed talem donationem minis extortam non ſubſiſtere, quivis ſanæ mentis homo facilè judicare poterit; Donatio enim eſt actio, qua alteri aliquid liberalitatis & munificentiæ gratia nullo jure cogente conceditur *L. 1. & L. donari 29. ff. de donat. L. 82. ff. de R. J.* & ex mera aliqua liberalitate nulla alia ſub cauſa in aliquem confertur *L. 19. §. 2. ff. de donat.* Donatio enim dicta eſt quaſi doni datio *L. Senatus 35. §. 1. ff. de mort. cauſ. donat.* inde ſi ex neceſsitate (uti in minis verberum &c.) fit, non eſt donatio *L. rem legatam 18. ff. de adimend. vel transfer. leg.* in neceſsitatibus enim nemo exiſtit liberalis *d. L. in fin.* & ſic minus dubii habet quæſtio, an donationes ob ſeqvutas minas revocandæ? Negativa videtur quidem apprehendenda, quod *primo* verba non curanda *Chaſſanæ. ad conſvetud. Burgund. d. l. pag. 383.* unde minæ verbales pro inſultu non reputantur *Dn. Mev. ad Jus Lub. lib. 4. tit. 4. art. 10 n. 11. cum ibidem alleg: Damhoud. & Favinac.* *Secundò* inter 5. ingratitudinis cauſas minæ non reputantur *L. ult. C. de revocand. donat.* cui opinioni adſtipulatur *Alvarott: ad rubr. qvo tempore miles 1. Feud. 22. n. 15. verſ. qværo, qvid ſi aliqvis minatus, &c.* Clarius verò negativæ adſtipulatur *Hillig. in Donell. lib. 14. cap. 27. lit. B.* quia manus impiæ illatæ non minatæ requiruntur, excipit tamen Parentes, Patronos, Magiſtratus, quorum perſona atrocem facit injuriam *§. atrox 9. Inſtit. de iniur.* Verùm ea, quæ facilè evenire posſunt, hic cum ſpectanda, voluntas vel conatus pro facto judicandus, nam metus ſecundum qualitatem metuentis non exitus ſpectandus, *juxta L. in omnibus 39. ff. de R. J. antiqvam lectionem*, quam notat *Matth. Steph. ibid.* unde verbis minans injuriarum tenetur, ut ſupra probatum.

batum. Dein, utut expresse vel speciatim facta sit mentio, tamen quia satis injuriæ involvunt & pro injuriis habentur *L. 15. §. 1. ff. de injur.* etsi in verbis consistant, quasi reales vocitantur *Loccen. exercit. jur. commun. & Sved. disp. 9. th. 45.* nec dubium est, minas sub prima ingratitudinis causa latere, ita etiam *Dn. Brunman. ad L. ult. n. 1. C. de revoc. donat.* eam explicat his verbis: Si Donatarius injurias atroces in donatorem effuderit & vel semel ac nudis verbis etiam absente donatario *per Molin. D. 281. n. 2.* ne jam dicam de altera causa, voluntas sit habenda pro facto, in terminis *Fontanell. tom. 2. de pact. nuptial. clausul. 7. gloss. 2. part. 5. num. 60. & seqq.*

§. 12. Non immeritò quoque inter minarum effectus numeratur, quod dent menato licentiam minantem impunè occidendi *Farinac. pr. Crimin. quæst. 125. n. 67.* quod tamen absolutè verum non est, sed tribus concurrentibus requisitis, (1) si minans sit solitus exequi minas, eoque casu probandum, minantem non solùm esse vindicativum, sed solitum quoque in continenti post verba verbera dare, manuque promptum esse. (2) Si minans sit in actu vulnerandi vel occidendi, seu quando periculum est in expectatione, apparentque in minante aliqua offendendi signa; præprimis si minans est miles vel juvenis robustus & bellicosus, qui statim exequi velle arguitur. (3) Si minæ sint de occidendo, non si aliam intendant offensionem *Idem d. l. n. 68. 70. & 72.* & post eum *Tabor in Armam. c. 3. §. 3. & seqq.* cui adde *Brunm. ad L. 1. C. quand. lic. un. sin. jud. se vind.* tum n. melius est in tempore occurrere, quàm post acceptam cladem remedium quærere *d. L. 1. C.* & imputet sibi minitator, quod minas protulerit, aliique ab illis abstinere discant, uti ex *Paul. de Castro* asserit *Cothman. vol. 3. responsa. 43. n. 18. & seqq.* unde sequitur, si præpotens quispiam

magno

magno satellitio circumdatus pauperi homini mortem minatus fuerit, pauper primum ictum ejusq; invasionem expectare necesse non habet *art. 140. Ord. Carol. §. fin.* fieri enim potest, ut primo ictu aliquis trucidetur, vel ad minimum ita vulneretur, ut defensioni amplius non sit locus. *Carpz. pr. Crim. quæst. 29. n. 57 & seqq.* & eo casu nobilem quendam, qui minantem occiderat, absolutum esse *ex Matth. de Afflict refert Jul Clar. §. homicidium n. 33.* Erat enim in justo metu, ne occideretur; si igitur ejusmodi concurrentibus circumstantiis pauper divitem prius occiderit, homicidii non tenetur, præprimis si alter effugere non potuisset, quin occideret divitem, aut ipse à divite interfectus fuisset; cum justus sanè metus est non solùm præsentis ac instantis periculi, sed etiam futuri propinqui *L. 1. & L. 9. in pr. ibi: aliter atque si postea. ff. quod met. caus. L. habitatores 28 §. 1. ff. locat.* Itaque tale pauperis homicidium ob tutelam & defensionem corporis factum esse censetur *L. si quamcunque 5. in pr. ad L. Aquil. Joh. Fab. ad §. 2. vers. Jus autem Gentium n. 9. Instit. de jur. nat. gent. & civ.* Hinc apparet hic non considerari minas verbales, sed reales; in quibus justa causa timoris existit, dum percutiendi animo veniat, etsi non percutiat, quare justè potuit offendi, qui se præparat offendere *Jul. Clar. d. l. & Carpz. d. l.* Cæterùm si minis verbalibus lacessitus occiderit, velut provocatus non planè excusabitur, mitius tamen vel extraordinariâ pœnâ plectetur. *vid. Clar. §. fin. quæst. 60. num. 18.* Sicuti etiam extraordinariâ pœnâ ille tantùm punitur, qui jussu Superioris, Domini vel Tyranni aliquem occidit, qui ipse aliàs à Domino suo occideretur *Farinac. quæst. 97. n. 11. 19. & 23. per text. in cap. sacris 5. ibiq; Bald. & Anton. de Butrio de his quæ vi met. caus. text. in L. servos 8. & ibi Bald. C. ad L. Jul. de vi publ.* nam qui necessitate coactus deliquit, à

pœna

pœna ordinaria excusatur *Menoch. de A. I. Q. cas. 354. n. 8. & seqq.* Hinc dicimus adulterii pœnam non infligi illi, quæ coacte deliquit *cap. proposito 32. qu. 5.* ubi D. Augustinus asseruit, Lucretiam Romanam ob perpetratum coactum adulterium pœnam non meruisse. Idem probat *L. vim passam 39. & L. si uxor. 13. §. planè 1. ff. de adulter. & L. fœdissimam 20. C. eod.* ratio est, quia qui coactè delinquit, contra animum delinquit atque ita dolo caret *L. imò 16. §. 1. ff. de liberal. caus.* cui accedit, ut qui aliquid adversus suam voluntatem agit, crimen non adscribatur, sed cogenti *can. 1. 2. caus 32. qu. 5.* à qua juris vera sententia non est recedendum *Menoch. de A. I. Q. d l. cons. Tiraquell. de pœn. temperand. caus. 35. & 36. & Nicol. Michaelis Cognat. honoratiss. disp. de Deteriatione 2. cap. 2. §. 7. Farinac. quæst. 125. n. 512.* quia verbis injuriosis lacessitus provocatus dicitur *Barthol. Bertazoll. vol. 1. cons. 1. crim. n. 5. & Mascard. vol. 3. concl. 1244. per tot.* nam licet quis fecerit per metum, puniri tamen debet quoad culpam: *vid. Bajard. ad d. qu. 60. n. 58. & Covarruv. tom. 1. oper. de matrimon: part. 2. §. 4. n. 14. pag. m. 155.* & hoc procedit, non solùm quando ipsi mortem, sed si saltem sororem alicujus violare minatus fuerit, post *Grammat. dec. 5. n. 9. Bertazoll. consil. crimin. 434. n. 8.* Idem quoque procedit, si quis modum defensionis excesserit, tunc enim non de toto puniendus, quia difficillimum est justum temperare dolorem, sed saltem de excessu *Angel. Aretin. in tract. de Malefic. versic. & dictus Titius se defendendo. n. 27. Reyger. thes. pract. Voc. Minæ. n. 219.*

§. 13. Pœnam quoque producunt minæ, quæ, licet non capitalis, uti diffidationes, *de qua supra*, non tamen minitatores planè erunt impunes, sed tam diu in carcere detinentur, usque dum sufficientem cautionem de non offendendo præstiterunt & minitatum securum reddiderunt,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0088
DFG

runt, quæ est communis Dd. sententia, uti ex aliis refert *Carpz. part. 4. const. 15. def. 5. & pr. Crim. quæst. 37. n. 79.* quæ in jure naturali, gentium & civili fundata, ne alter ab altero vi opprimatur aut offendatur. *Dn. Mev. ad Jus Lub. lib. 4. tit. 16. art. 4. n. 11.* ideoq; speciali artic. 176. à Carolo V. & Imperii Statibus in Const. Crimin. confirmata, *Dn. Matth. Steph. ad d. artic.* Debet autem cautio de non offendendo necessariò præstari vel per pignora vel per fidejussores *L. hæc autem satisdatio 4. ff. si cui plus quàm per L. Falcid. L. illicitas 6. §. ne potentiores 2. ff. de offic. Præsid. ibiq; Dd. & Carpzov. Jur. For. d. l. def. 6.* Jure Lubec. fidejussoria cautio præfertur *d. art. 4.* sed tamen *Dn. Mev. d. l.* addit, si fidejussores haberi non possunt, pignora sufficiunt, quę idem præstant, imò tutiora videntur. *n. 6.* qualem præstare nemo recusare debet, etiamsi quis dives & multa bona possideat, quod ita semper servari scribit. *Hering. de fidejussor. c. 6. n. 245.* imò non ineptè quandoque à muliere petitur, uti demonstrat *Carpz. J. F. d. l. def. 7. quod & supra dictum.* Sin verò minitator neque fidejussores neque pignora invenire poterit, non ad juratoriam cautionem, multò minus nudam promissionem admittendus, nemo enim cogitur vitæ bonorumq; suorum pericula alterius juramento committere, præsertim si levis sit existimationis: experientia enim testis est, quàm multa scandala & turbæ motæ sint ab iis, qui sub juramento carceribus relaxati juratoriam cautionem nihili fecerunt. Et tantò minus illis erit fidendum, quia nihil in bonis habent, quo facit etiam, quod olim non minus ac hodie reservationes mentales in juramentis licitas esse sibi persuadeant contra dogma: quod ex mente deferentis non delati juramentum interpretetur. *Dn. Struv. Synt. Jur. Civ. exerc. 17. th. 17. ibiq; alleg. Dd.* quare melius visum est minitatores esse

relegandos. *Farinac. quæst. 107. n. 41.* sed sanioribus Dd. tamen optimum remedium esse videtur, in carcere tamdiu detinere, donec cautionem inveniant. *per dict. art. 176. Ordin. Crim.* Interdum tamen pauper ad juratoriam cautionem admittitur, si est integræ & bonæ famæ, *post Jul. Clar. Dn. Matth. Steph. ad d. art. 176.* in quam pars offensa consentire debet, nam sine ejus consensu, de cujus præjudicio agitur, admitti nequit. *Dn. Mev. d. l. n. 16* quod tam praxis quàm Jus Lub. *d. art.* approbat verb: Kan er keine Bürgen haben / muß er selbst Bürge werden. *ibiq; Dn. Mev. num. 18.* Regulariter autem petitur hæc cautio à parte, sed necessitate urgente Judex etiam ex absoluto arbitrio & officio minantem eò adigere potest, quia omni studio judices curare debent, ut in civitate omnia sint pacata & tranquilla. *vid. Jul. Clar. in pr. Crim. lib. 5. sentent. §. fin. quæst. 47. n. 3.* Quamdiu autem cautio durare debeat, an ad certum tempus vel in perpetuum demonstrat. *Idem d. num. 16.* Judex enim ratione personarum, circumstantiarum & capitalium inimicitiarum hoc dijudicare debet. Complectitur autem hæc cautio non solùm menatum principalem, sed etiam filios, familiares, affines, consangvineos, complices, adhærentes, amicos & sequaces. *d. l. illicitas 6. §. ne potentiores 2. ff. de offic. Præsid. ibiq; Bart. Christina. ad consvetud. Mechlin. tit. 4. art. 1. n. 3.* tam masculos quàm fœminas; quemadmodum etiam minitator pro se, suis liberis, amicis, consangvineis, &c. cavere obligatur *Farinac. d. l. n. 25. & 26. Berlich. part. 4. concl. 22. n. 15.* usque ad decimum gradum *Farinac. d. l. n. 28.* Sed de consuetudine receptum est, caveri tantùm usque in tertium gradum de Jure Canonico computandum. *Idem n. 29.* Ubi autem minitator, ut supra dictum, carceremingredi tenetur, propriis sumptibus se sustentare cogitur, sin verò ipse non habeat, mi-

nita-

nitatus ipsum alere obstringitur *per dict. art. 176. Constit. Crimin. vers.* und wo er sich von seinen selbst Gütern/ ꝛc. quod nec juri communi disonum, prout tradit *Nicol. Boer. dec. 303. n. 2. Köppen. dec. 29. n. 25. Hippol. de Marsil. in pr. Crimin. §. attingam. n. 74.* Si utrique non suppetunt sustentandi media, ex fisco succurrendum. *per d. art. 176. Carpz. J. F. d. const. 15. & pr. Crim. qv. 37. n. 79. usque ad fin. Farin. pr. Crimin. qv. 107. Pruckman. vol. 2. consil. 10. per tot. ubi fusissimè hanc materiam tractant.* Integros verò tractatus scripserunt *Herculanus & Vulpellus singulis ferè num: à Farinac. d. l. allegat.* Antequam huic § colophonem addo, quær: quale remedium habeat uxor contra minantem sævitiam & exercentem maritum? & resp. *Carpz.* quod tamdiu in carcere manere debeat, donec sufficientem præstiterit cautionem, sicuti alij minitatores. *in Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 12. n. 7.* Sed majoris momenti videtur quæstio, an mulier malè tractata à marito aufugiens antequam ad eum redeat, possit ab ipso fidejussores vel cautionem de non offendendo petere? *Baldus vol. 3. consil. 240. & melius vol. 1. consil. 176.* hoc Judicis arbitrio relinquendum esse statuit, ut is considerare debeat, an mulier justè aufugerit, an maritus sit zelotypus, morosus, sævus, &c. Communius tamen affirmatur *per cap. literas 13. cap. ex transmissa 8. X. de restitut. spoliat. qvibus add. L. præsenti 6. §. pen. C. de his qvæ ad Eccles. confug. Hering. de fidejuss. cap. 6. n. 237.* ubi plures allegat Dd. *adde Christinæum ad consvet. Mechlin. tit. 4. art. 1. n. 5.* antequam verò desideratam præstat cautionem, conjugale debitum præstare & cohabitare non tenetur, & hanc si detrectat quoad thorũ & mensam rectè separantur. *Georg. Beat. in sentent. matrim. part. 2. cap. 3. & 4.* sed quia fragilis est talium virorum cautio, qui plurima promittunt, pauca verò præstant, in quibus non major facilitas est in gratia reconcilianda, quàm

fides in reconciliata, ideò aliis consultius videtur, ut talis mulier committatur custodiæ honestæ alicujus Matronæ, donec controversia sopiatur, vel idonea præstetur cautio *vide post Cravett. Hering. de fidejuss. d. l. n. 239.* Et hæc de minantium pœnis satis. De diffidatorum autem pœna jam supra *Cap. IV. §. 15.* actum fuit.

§. 14. Efficiunt quoque minæ, ut, qui ad dandum vel faciendum juramento se obstrinxerunt, relaxationem juramenti vi, dolo, metu, minisve exacti, impetrare possint, uti probat *Dn. Struv. Syntagm. Jur. Civ. exerc. 17. th. 78. per cap. si verò 8. X. de jurejur. ibiq; Panorm. Andr. & Innocent. Gutirez. in auth. Sacramenta puberum. C. si advers. vendit. Myler. de Statib. Imper. cap. 44. p. m. 402.* Jure Civili tale juramentum non egere relaxatione quidam statuunt Dd teste *Gail. 2. obs. 42. n. 1. 2. & 3. & 1. obs. 25. num. 5.* quos tamen improbat *Carpz. part. 2. const. 35. def. 3. n. 3.* sed Canonistæ regulariter aliter sentiunt, quia omne juramentum vi extortum, quod sine periculo salutis æternæ servari poterit, servandum *per d. cap. si verò 8. X. de jurejur.* ita ut eo casu necessariò absolutio à Judice petenda, si jurans promissis stare recuset. *Gail. 2. obs. 42. n. 3. & 5.* sed si juramentum vergit in dispendium salutis æternæ, si contra bonos mores, si cedit in deteriorem exitum, si exemplo pernitiosum, si præstatur super pacto & conventione principaliter publicæ utilitati repugnanti, nullo modo juramentum obstringit, ita ut absolutione haud indigeat; uti ex multis Jur. Canonici & Civilis textibus demonstrat *Gail. d. l. num. 4.* confer supra dicta de matrimonio vi & minis contracto. De Jure Saxonico res est expedita, secundum quod nemo à tali juramento recedere potest, nisi prius impetratâ absolutione, teste *Carpz. d. l.* petere autem hanc relaxationem debet is, qui juravit, hæres verò necesse non habet

Dd. in

Dd. in cap. veritatis 14. X. de jurejurand. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 13. §. 17. Carpz. d. l. const. 36. def. 7. Struv. d. l. th. 79. quia tale juramentum est personale & personam non egreditur, nec ad hæredes jurantis transit, quoad vinculum sc. perjurii *Carpz. d. l. n. 3.* perjurium enim ut evitetur, & juramenti vinculum dissolvatur, relaxatio est introducta. Potestas autem relaxandi à tali juramento olim ad Magistratum Politicum spectabat *per L. adigere 6. §. ult. ff. de jure Patronat. L. ult. ff. qui satisd. cogant.* & præprimis *L. Imperatores 38. ff. ad municipal. ibiq; Brunman. n. 3.* sed crescente in corruptis seculis Pontificum potestate, inter alia Imperatorum & Principum jura hanc sibi potestatem tribuerunt & audacter arripuerunt *cap. novit 13. X. de judic. cap. venerabilem 34. de Elect. cap. cum contingat 28. de jurejur.* secundum hodiernum Reip. Romano Germanicæ statum ad jus antiqvum res iterum pervenit, ut non solùm Pontifex & Ecclesiasticæ personæ, sed & Princeps vel alius Status secularis jura superioritatis sibi vindicans hodiè hanc potestatem justè sibi tribuat. *per Rec. Imperij de Anno 1555. §. 59. & 119. Ordinat. Camer. part. 2. tit. 24. confer Carpz. d. l. def. 2. & Struv. d. l. th. 80. & ult. Recess. de Anno 1654. §.* **alß sich dann auch.** *adde Dn. Nicol. Michaelis Cognati honoratißimi disput. Argentorat habit. anno 1669. de juramenti relaxatione cap. 3. & præprimis assert. 3. & seqq.*

§. 15. Liberant etiam minæ à contumacia vel pœna conventionali, uti *ex Coler. de process. executiv. part. 2. c. 3. n. 58. probat. Hilliger. in Donell. lib. 23. cap. 9. lit. R.* imò quod magis, si quis incarceratus ob minas Judicis ipsi apertas aufugiat, effracti carceris non ita reus, quàm minarum intentarum profugus dicendus, ut pluribus probat *Oldecop. tit. 3. caut. crim. 18. n. 3.* similiter licet aufugiens fuga se non reddat parum suspectum *Carp. pr. Crimin. qv. 60. n. 28. & 31.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0093
DFG

tamen si inquisitus ob minas aufugiat, suspicionis hujus labe carebit *Oldekop. Tit. 4. caut. 9. n. 4. & 6.* occasione autem prædictæ regulæ quæro: Si Dominus feudi vasallo minatus & vasallus propterea investituræ petitionem intra fatalia tempora non petierit, an feudo cadat vasallus? Si Dominus personæ & rebus vasalli damnum inferre minatus fuit Dd. inquirere solent, quomodo minæ fuerint comparatæ, an hostili animo prolatæ nec ne, ita ut priori casu justa metuendi causa subsit, non item posteriori, equidem sola verbalis comminatio non sufficit, nec tanti momenti, ut metum inferat, prout *Novell. 22. cap. 35. indeq; desumpta Authent. quod Mater. C. de revocand. donat. post Andr. de Isern. in cap. 1. quo tempore miles 1. Feud. 22. concludit Chassanæ. ad Consvet. Burgund. rubr. 3. §. 1. vers. Le Seigneur du fied. n. 14. pag. m. 385.* sed hæc procedunt, si Dominus sit adeò acerbus, ut minas facilè exequi sueverit. *arg. l. si quis negotia 23. ff. de negot. gest. Dn. Rhet. in comment. ad d. cap. 1. verb: inimicitiæ capitales 1. Feud. 22.* Dein, si Dominus absque justa causa & non à vasallo irritatus sit; Inconveniens enim esset, si Dominus pro lubitu irasci vellet aut minis vasallum arcere à fidei præstatione & dein ob non observata tempora vasallum privare beneficio *Dn. Rhet. citat. loc.* ad quod perplacet consilium *Alvarotti in dict. cap. 1. 1. Feud. 22. n. 15.* Quod vasallus pro majori cautela salvum conductum petere aut reconciliationem quærere vel per Procuratorem amicabilem compositionem sollicitare debeat, quo culpam & moram purgare poterit, nec facilè privari feudo. *per rubr. de feudo sine culpa non amittendo 1. Feud. 21. ibiq; F. F.* facit etiam, quod minæ à contumacia liberent, *per sup. alleg.*

§. 16. Denique etiam producunt minæ justam causam appellationis *Oldekop. cautel. Crimin. Tit. 4. cautel. 22. n. 4. & 5.* nam minæ à Potentioribus (inter quos etiam referri

ferri Judices existimo) dicuntur formidabiles. *Dd. in L. metum 9. C. de his quæ vi met.* unde solus terribilis & iratus vultus Judicis justum metum producit, teste *Bald. in cap. 1. §. injuria 1. de pac. tenenda inter subditos & jurament. firmand. 2. Feud. 53. Wesenb. consil. 63. n. 53.* & minæ Judicis sunt causa sufficiens ad appellandum, uti probat *Faber in L. ad invidiam 6. n. 5. & 6. C. de his quæ vi met. Aug. Barbos. in Loc. com. lib. XI. cap. 30. ax. 1. voc. Minæ.* & justa causa recusationis pro suspecto *Hostiens. & Joh. Andr. in cap. cum cessante 60. X. de appellat. & Paul. de Castro consil. 22.* Timore enim, cupiditate, odio & amore pervertitur humanum judicium *can. quatuor. 78. caus. 11. q. 3.* & timor, amor & avaritia plerumque sensus hebetant humanos & pervertunt opiniones, ut quæstum pietatem putent & pecuniam quasi mercedem prudentiæ *can. accusatores 12. caus. 3. qu. 5. Aug. Barb. lib. 18. c. 19. axiom. 7. voce Timor.* Sed an à commenato gravamine appellare liceat, quæritur? Permissum quidem est, appellare omni gravato sive injustè oppresso. *cap. omnis 13. caus. 2. qu. 6. can. 8. distinct. 2.* & quidem à minimo *Dn. Mev. part. 3. dec. 157. n. 5.* unde contra patet, cessante gravamine appellationi locum non esse *cap. cum cessante 60. X. de appellat.* secundum regulam: *Non gravatus non appellat.* Quare non appellandum ante sententiam sive definitivam sive interlocutoriam vim definitivæ & incessabile gravamen habentem, quia ante non potest dici ullum gravamen, Et ex jam dicta ratione volunt quidam Dd. quod nec à commenato gravamine appellari possit, nisi in termino peremptorio irreparabile gravamen inferri possit, aut subsecuturum certò aliquod gravamen ab ista comminatione originem trahens, *Dn. Mev. part. 8. dec. 411. n. 5.* cujus ratio est, quod videatur quasi jam causa existere; in extrajudiciali comminatione etiam à *futuro* gravami-

ne

ne appellari posse tradit *Felin. ad cap. 1. n. 3. de appellat.* idq; ex eo, quod factum istud ponat quasi causam gravaminis præsentis. *Zæs. ad tit. ff. à quib. appell. non lic. n. 1. & 2.* Et ita non solùm condemnatus, verùm & non condemnatus appellat, modo ejus interfit; sic emptore super proprietate victo licet venditori appellare, quod ejus causa agatur, cum emptori possit esse regressus contra venditorem, & è contra victo venditore emptori licet appellare propter suum interesse. *L. 4. §. si emptor 3. ff. de appellat.* Fidejussor pro eo, pro quo intercessit, cohæres victo cohærede. *L. 5. d. t.* quia subest horum interesse *d. L. 4. §. item si emptor 3. d. t.* Plura exempla congessit *Zæs. ad tit. ff. de appellāt. n. 8.* Verùm distingvit *Dn. Mev.* an res s. gravamen in nudo metu consistat, an jam aliquid injusti habeat, ex quo graviora sint metuenda. Priori casu non appellandum, sed iis remediis uti debet, quæ pro metu parata sunt. Posteriori subdistingvit, utrum perpetuum certumq; sit gravamen, an temporale, incertum & ex eventu pendens. Quoad hoc interest si eveniet, per appellationem ejus facilis fit reparatio & non appellatur, quamdiu gravamen in pendenti est, an si evenerit, ita difficilis, nec sine incommodo futura sit. In qua specie ad avertendum præjudicium utilis & necessaria est, quia tam in præsenti gravamen est, quàm quod imminet pro præsenti habetur, appellationem admitti oportet, & ita recepta est in causa Philip Gutzlaff Rotermund contra Ægidium von der Osten. *Dn. Mev. part. 1. dec. 64.* add. *part. 8. dec. 411. n. 5.* A comminationibus autem Judicis omni tempore etiam post decendium appellare licet, quia non habent vim sententiæ. *per tot. tit. C. commination. Epist. Programm. &c. auctorit. rei judicatæ non hab. adde Innocent. & Dd. c. 2. ubi gloss. verb: Inhibitione de in int. rest. Wesenb. cons. 260 n. 25. & cons. 293. n. 31. & 32.*

§. 17.

§. 17. Per totam ferè disertationem hactenus vidimus, quæ à bonis quæq; à malis prodiere minæ, quemq; effectum parere soleant, antequam autem porrò grediar, & Processum juris super iis instituendum delineare occipiam, non ingratum fore puto, si paucissimis quoque de inanimatarum rerum minis pauca subjiciam. Accidit sæpius, ut ædes ruinosæ iisq; superstructa vicinis ac prætereuntibus ruinam aut damnum minentur; in hæc etsi injuria non cadat. *arg. princ. Inst. si quadr. paup. fec. & arg. L. 1. §. 3. ff. eod.* tamen ne alii injuriam patiantur & ii, qui harum minarum effectum præcavere possunt aliis damnum dent, Jurisprudentia nostra non parum fuit sollicita, quod vel præ cæteris æquissimum Prætoris Edictum in *L. 7. pr. ff. de damn. infect.* clarissimè indicat; Ita n. Prætor: *Damni infecti suo nomine promitti, alieno satisdari jubebo ei qui juravit, non calumniæ causa id se postulare; eumve, cujus nomine aget, postulaturum fuisse, in eam diem quam causa cognita statuero. Si controversia erit, Dominus sit, nec ne, qui cavebit: sub exceptione satisdari jubebo, &c. vid. pluribus d. L. 7. in pr. d. l.* Ex quo apparet, si quis damnum menatum præcavere & avertere nolit, non minans subjectum inanimatum, sed infectum damnum impedire nolentem jure teneri. *vid. ad hoc Scheplitz. in promt jur. tit. 37. §. 5. Oldendorp. in class. action. class. 6. art. 14.* nec hoc immeritò: occasionē n. damni dans ipsum damnum dedisse videtur. *L. Prætor ait. 4. §. hoc autem edicto. 4. ff. de vi bon. rapt. L. videamus 11. §. fin. L. 57. in fin. ff. locat. conduct. L. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar. L. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil.* contingit tamen in his casibus haud rarò, ut aliqui hoc Prætoris beneficio multoties abutantur, ideoq; & ipse malitiis hominū indulgere noluit. *L. in fundo 38. ff. de R. V.* sed in supra relato Edicto constituit, non promiscuè cautionem illam debere cuivis requirenti concedi, sed si appareat

justè eam peti, sin dubitetur de calumnia jurandum prius sincerè, nec animo vexandi hanc cautionem desiderari. *vid. Dn. Brunman. ad d. L. 7. & L. 13. ff. de damn. infect.* Suspicionem vexationis & doli, evidentia facti & instans periculum planè tollit. *arg. L. 15. §. 1. ff. de contrab. empt. jung. L. 43. pr. ff. eod. L. 1. §. 6. ff. de ædilit. edict.*

CAP. VI.

De Minarum Processu.

§. 1.

POstquam effectum aliasq; minarum circumstantias consideravimus, ad Processum, qui absolvitur potissimùm minarum probatione, probatarum dijudicatione & meritis pœnis, progredior. Processus, ut alias divisiones, quas recenset *Rosbach. proc. civil. tit. 1.* non adferám, est vel Ordinarius vel Extraordinarius seu summarius. Ordinarius est, in quo servato communi juris ordine proceditur. Extraordinarius seu summarius, in quo legitima & solemnis figura processus non servatur. *Rosbach. d. t. n. 28. & 29.* In Minis verò processus juxta consilium vel præceptum *Const. Carol. art. 12. in fin.* summarius obtinet quod verba *dict. art.* ohne Zierligkeit des Rechtlichen Processes / h. e. citra solennitatem & strepitum judicii secundum *Dn. Matth. Steph. ad d. art.* quod aliàs levato velo vel de plano procedere audit, indicant. De his formulis *vide L. de submersis. 5. C. de naufrag. ibiq; Gothofr. in not. & Brunman. n. fin. Clementin. 2. de judiciis. Cavalcan. de brach. Regio part. 1. n. 143. & seqq. L. 71. ff. de R. J. ibiq; Matth. Steph. & Bronchorst. Mynsing. cent. 3. obs. 70. Carpz. in Proceß. Tit. 1. art. 1. num. 48. Idem ad L. Reg. German. cap. 9. sect. 12. n. 18 & in Jur. For. part. 2. const. 36. Def. 2. n. 5.* hoc enim modo non tantùm Processus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0098
DFG

sus citius absolvi, sed ipsa causa exactius quàm in ordinario processu potest cognosci, in quem finem JCti Gryphiswald. quondam consulti Præfecto Rugiæ Dn. Henrico Normanno Anno 1587. d. 12. Febr. seqventi modo responderunt, quod cum notatu dignum uti ab integerrimo Amico communicatum verbotenus adjiciam: Unsern freundlichen Dienst zuvor / Edler / Gestr: und Günstiger Herr Landvogt. Alß E. E. G: G. uns Marten Normans zur Helle Erbsessen Klage wider und gegen Clauß Cermüß Haußfraw und darauff auffgenommene unvereidete Zeugniß wegen eines an Marten Normans Scheure gelegten und auffgegangenen Feuers und gefährlichen Dräuens uns zugesandt / bittende / dasselbe zu erwegen / und euch unser rechtliches Bedencken darauff zu vermelden; Demnach erachten und sprechen wir Dechant und andere *Dd. &c.* den Rechten und Berichte gemäß zu seyn / daß bezüchtigtes Weib vorzubescheiden / auff die Klage zu hören / und wann die Zeugen ihre Außsage mit einem gewöhnlichen Zeugeneyde wiederholet / ist dieselbe Kundschaft dem Weibe auch vorzulesen und darauff zu hören; Wenn solches geschehen / ergehet wegen der gefänglichen Einziehung und Tortur was recht ist. Damit man aber ihres Fürweichens sich nicht befahren möge / ist sie schuldig Bürgen zu stellen / in der Person des Rechtens ferner außzuwarten. Uhrkundlich etc.

§. 2. Citatis partibus docenda erit à Ministro judicii citationis perfectæ intimatio, quâ edoctâ vel partes comparent vel non. Si non comparuerit citatus in termino, denuò citandus, & si tum emanserit seu contumax fuerit, condemnandus, uti JCti Gryphiswaldenses quondam anno 1586. d. 7. Aprilis Senatui Treptovienſi responderunt verb: Daß Beklagter billig noch einmahl citiret werde / imfall er alßdann ungehorsam abermahl außbleibet / ist er billig ewres Gebiets zu verweisen / und in die Stadt Veste

zu verdammen. Uhrkundlich ꝛc. Ex quo Resp. ante omnia apparet citationem ceu naturale processus requisitum antecedere debere, quia est principium judicii substantiale & processus fundamentum, ita ut judex nihil neque in judicando neq; exequendo attentare debeat, nisi parte citatâ. §. fin. *Inst. de pœn. tem. litigant. cap. quoniam 11. X. de probat. Rosbach. proc. civil. Tit. 22. n. 42.* præprimis tamen cujusque judicii stylus à judice observandus *Bald. in L. ces. sante 2. n. 8. C. quom. & quand. judex.* Ut verò justa sit, requiruntur (1) Nomen Judicis. (2) Rei citandi. (3) Actoris. (4) Causa in specie. (5) Locus, qui necessariò exprimendus, si Judex certum Tribunal non habet, ut delegatus. (6) Tempus. *Brunman. in Proceß. civil. cap. 3. de citat. n. 18.* cum quo diligenter conferendi alii Dd. *ut Gail. Ummius & Carpz. in Proceß. à Brunm. d. l. allegati add. c. 2. X. de dilat. & ult. Rec. Imp. de anno 1654.* §. diesem nächst. Si autem comparuerit Judex summatim causa cognita ad probationes procedet, vel ut *in cap. ult. X. & ibidem gloß. de his quæ vi metus. cauſ.* præscriptum. Nam minans, allegans metum in atrocitate facti consistentem, probare debet, aliàs ipsi non creditur, *vid. Broncborst. ad L. 39. in fin. ff. de R. J.* cum probatione deficiente deficiat causæ substantia. *Pacian. de probat. cap. 5. n. 5.* in qua totius causæ cardo consistit, nihil enim nobis jura sunt profutura, ubi probatio deest, cum multos sæpè videamus justam causam foventes propter probationum inopiam succumbere, juxta illud: *Amice, jus tibi non deficit, sed probatio. L. sunt duo Titij. 30. de testam. tutel. ibiq; Bald. & in L. ingenuum. 25. n. 9. ff. de stat homin.* nam minæ sunt facti, & quæ facti sunt regulariter non præsumuntur, nisi probentur. *L. in bello 12. §. factæ 2. ff. de captiv. & postl. reverſ. L. 1. C. de probat.* & facta sunt sui natura incerta. *L. in omni 2. ff. de jur. & fact. ignor.* ideoq; illorum vis atque

que probatio dubia dicitur. *L. Arescusa 15. ff. de stat. homin. L. triticum 94. ff. de V. O.*

§. 3. Probatio autem minarum fit (1) ex confessione partis. *Dn. Mev. ad Jus Lub. lib. 4. tit. 16. n. 15. & Carpzov. Jur. for. part. 4. constit. 15. def. 9. & pr. Crimin. quæst. 37. n. 85.* Confessio enim est probatio omnibus melior & efficacior, quæ fieri potest. *L. generaliter 13. C. de non numer. pec.* & omnium probationum principalissima, *Bald. cons. 195. lib. 2.* quam cæterarum probationum Reginam & Illustrissimam vocat *Cravett. consil. 380. n. 12. Mascard. de probat. concl. 1326. n. 4.* præferturq; convictioni in *Constit. Carol. art. 22. ibi:* auß eigenem Bekennen oder Beweisung. Non minus enim probat confessio quàm instrumentum. *Joh. de Anan. consil. 55. n. 3.* habetq; vim publicæ scripturæ *L. cum te 5. C. de transact.* Confessio autem duplex est Judicialis vel Extrajudicialis. *Brunman. de proc. civil. tit. 65. de confeß. num. 22* Prior plenè probat *per L. un C. de confeß.* ubi dicitur: Confessum pro judicato haberi. *Brunman. d. l. n. 3.* & in confitentem nullæ sunt partes Judicis, quàm condemnare. *L. post rem 56. ff. de re judic. L. 1. ff. de confeß. Wesenbec. in paratitl. de his qvi notant. infam. n. 8.* & hæc confessio judic: etiam mulieribus præjudicat *Gail. 2. obs. 89. n. 5. per tot. c. 6. X. de renunciat. Berlich. p. 2. concl. 19. n. 76.* nam omnes alias superat. *Regner. Sixtin. vol. 1. Consil. Marpurg. 11. n. 35. & 88. Gœddæ. cons. 16. vol. 4. n. 140. Casp. Klock. tom. 3. consil. 108. n. 15.* & ita confessus pro condemnato habetur. *Sixtin. tom. 2. consil. 8. n. 33. Dn. Eberhard. Fabric. in repetit. Gail. 2. obs. 89.* hanc theoriam rectè limitat *Bernh. Grœven. in concl. 89. ad d. obs. Gail. num. 14.* inquiens: *Sanè qvod verum sentio, fateor, ipse securitatem mecum adhuc constituere non possum, an solidis rationibus* d. Authent. si qua mulier, *manifestam probationem pecuniam in uxoris utilitatem expensam esse, requirentem, evacuari tutò possit hac limitatione ad*

præsentes terminos. Quis enim inficias ibit, casum non posse obvenire, quo uxor aut minis, aut delinimentis maritalibus, quasi coacta & inani spe lactata, confessionem ejusmodi versionis coram Judice facere sit inducta. Sic sanè contigit coram Senatu Sabaud. teste Arton. Fab. in Cod. suo tit. ad SCtum Vellej. defin. 23. *quod uxor ipsa, quæ antea sollicitarat emptorem rerum suarum, ut secum contraheret (quo casu destituitur beneficio SCti Vellej.* ibidem def. 7. *cum concordant) miseriam deplorasset, ejusce sollicitationis, & se verberibus atque minis in id, ignorante emptore, compulsam extitisse, emptionis inde cassationem obtinens.* Huc usque Grœv. d. l. Ast huic se opponit *Fabric. d. l.* Frustra dissentit ab assertione *Gail. Grœven. n. 14.* quod enim exempli loco subjicit, singularissimum est, & licet minis & verberibus coacta mulier promittat se in judicio talia fateri velle, attamen coram Judice contrarium proponere revelareq; potest & debet. Sed quod cum pace hujus Dn. Fabricii dicam, lubrica consilia mulierum vix hoc consilium capiunt, sed metu & minis correptæ vel corruptæ vix sibi consulere sciunt, nonne E. subsidio SCti Vellej. magis juvandæ & ipsis deceptis ac coactis subveniendum? justum hoc arbitror nec ut singularissimum, sed ut speciale & menatis commune levamen probo prædictam Græveii assertionem. Posterior extraj: regulariter semiplene probat *Masc. concl. 348. n. 7.* nisi sit geminata. *Menoch. lib. 2. præsumpt. 61.* quia geminata confessio extrajudicialis æquiparatur judiciali, post *Marant. specul. aur. part. 6. de confeß. n. 15. Rosbach. d. l.* vel in testium præsentia facta *Idem d. l. num. 33.* aut alterâ parte præsente, cui confessio deliberatè facta est *Brunman. d. l. n. 4.* sed extraj: confessio non debet esse jactatoria. *vid. Tabor de Tortur. p. 230.* nec risus vel joci dicisve causa facta, talis verò præsumitur, si quis nemine cogente quid protulerit, velut apparet *ex Constit. Crimin. art. 32. ibi:* so einer

von

von ihmselbst ruhmß ꝛc. Ut autem jactatoriã esse prætendi non possit, requiritur (1) ut persona fuerit suspecta. *L. 58. ff de ædilit. edict. d. art. 32. verb:* und wäre es eine solche Person. (2) ut de certo delicto illa confessio sit facta, eo tempore & tali in loco commisso prolata *d. art. 32.* daß er die beklagte oder verdachte Missethat gethan. *Sigismund. Flach. de delict. publ. & privat. disp. 5. th. 55.* Ex quo apparet, quod si confitenti nocere debeat, oportet esse clara, certa, lucida, expressa & explicata: aliàs non præjudicat *Manz. ad d. art. n. 4.* obscurè enim respondens vel confitens similis est nihil respondenti. *L. de ætate 11. §. nihil 7. de interrog. in jur. faciend.* nec debet esse æquivoca, vaga vel generalis, sed certa & specialis. *Mascard. de probat. concl. 348. n. 36.* quod in utraque tam judic: quàm extrajud: confessione procedit secundum *Manz. ad d. art. n. 4.* Sed quid si reus neget vel revocet extrajudicialem confessionem vel eam lusoriam esse asserat? Quidam Dd. sunt in ea opinione tunc non facere indicium ad torturam, quos allegat *Carzov. pr. Crim. qv. 121. n. 47.* sed refutat illos *Jul. Clar. §. fin. qv. 21. n. 31.* additâ ratione, quia si sola revocatio hoc operaretur, nunquam propter extrajudicialem confessionem tortutæ quis subjiceretur, ob hanc enim revocationem devenitur ad torturam, quia si reus non revocaret, torturâ non opus esset *Clar. d. l.* Sin verò reus doceat, talem confessionem esse errore factam, vel non sponte, sed metu tormentorum emanasse, hoc casu revocatio ei sine dubio prodesse debet, per *Carpz. d. l. n. 49. & Clar. d. l. n. 33. in fin.* Sin verò Sacerdoti confessus sit delictum illeq; tanquam testis producatur, revelare non tenetur, ita ut nec à Pontifice cogi possit, secundum *Panorm. in c. dilectus 13. n. 2. X. de excess. Prælator.* nam illa non ut homo, sed ut DEI vicarius scire intelligitur, proinde interroga-

tus

tus sine mendacio rectè respondet de sua ignorantia, ideò ut homo & testis ignorat. *per text. in cap. utriusque sexus. 12. de pœnit. & remiss. vid. Gail. plures text: allegantem 1. obs. 100. n. 8. Berlich. p. 4. concl. 4. n. 78.* Inde Divus Lutherus *in colloqv. German. c. 14. fol. 191. in Tom. Jenens.* aliquando de tali confessione quæ situs respondit: Sie hat mir nichts gebeichtet/ sondern dem Hn. Christo / und weil es Christus heimlich hält/ so soll ich es auch heimlich halten und stracks sagen: Ich habe nichts gehöret/ hat Christus was gehöret/ so sage Ers. Et paulò post: Jst sie absolviret/ da weiß ich Doct. Martinus nichts umb/ sondern Christus weiß es/ mit welchem sie geredet. Denn ich höre nicht Beichte/ absolvire auch nicht/ sondern Christus. *Confer fusissimè de hac materia Cognati mei suavissimi D. Francisci ab* Essen *dissertat. de jure Revelationis habitam anno 1673. in hac alma Gryphica sub Præsidio Dn. Pro-Decani Tit: Friderici Gerdesii, Fautoris & Promoteris mei omni honoris cultu æviternum honorandi. cap. 1. §. 9. & multis seqq. & Doct. Balthas. Rhawen disp. inaugur. Tubingæ habitam anno 1673. de Reticentia thes. 4.* nec ea revelare debet, nisi consensu confitentis *Mynsi. cent. 5. obs. 41. n. 4.* quod tamen adhuc restringit *Vincent. Caroc.* si vergat in utilitatem confitentis, non autem si in ipsius incommodum *tract. de revelat. confess.*

§. 4. Probantur quoque minæ (2) per testes. *Dn. Mev. ad Jus Lub. d. l. & cons. 30. n. 123.* ad minimum autem 2. requiruntur; secundum *Carpz. pr. Crim. quæst. 37. n. 85. & Jur. For. part. 4. const. 15. def. 9. Manz. ad d. art. 32. Const. Crim. n. 5.* nam unus testis nullus testis *L. 9. C. de testib. Farinac. de testib. qv. 63. L. maritus 20. ff. de quæst. & tortur.* etiamsi producens sit homo in dignitate positus *arg. can. ego solis. 5. distinct. 9. Covarr. pract. quæst. 33: versic. his accedit 17.* vel ipse testis curiali aut majori dignitate præfulgeat *Tib. Decian. lib. 2. cons. 93. n. 7.* quod tamen secus de Jure Lub. *per art. 3. lib. 1. tit. 1. ibiq;*

Dn.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0104
DFG

Dn. Mev. n. 3. & seqq. præsertim si de causa criminali agatur, vox n. Junius vox nullius, ut testantur Canonistæ, *per cap. universis 23. ibiq; gloss. cap. veniens 10. cap. in omni negotio 4. X. de testib. & attest.* adeò ut nec Principi plenè credatur, nisi in facto proprio, quod à sola ejus potestate pendet, vel etiam alieno, coram se gesto, non autem in grave præjudicium tertii. *vid. post Gabriel. Mascard. & Farinac. Dn. Matth. Steph. ad art. 22. Constit. Carol. ubi fusè Julij Clari opinionem contrariam improbat & refellit, adjecto exemplo notatu digno de Henrico II. Galliarum Rege. adde August. Barbos. in Loc. Comm. voc. Testis. axiom. 4. ubi etiam limitat: tractat.* Sicut enim metus duobus probari debet testibus, uti constat *ex Bald. & Paul. de Castro in L. transactionem quæ dominij 35. C. de transact.* ubi dicunt: Regulariter metum duobus testibus probari, licet tres requirantur, quando intervenit vel amicorum, vel consanguinei, vel Judicis præsentia; quod & Jus divinum statuit *Deut. cap. 17. v. 6. & cap. 19. v. 15.* cum in ore duorum vel trium stet omne verum, quod & Salvator repetit *Matth. 18. v. 16.* & Paulus *2. Corinth. 13. v. 1. & epist. ad Hebr. 10. v. 26.* ita etiam minæ, quæ justum metum inferunt, concludenter per duos testes probantur. *Farin. qv. 50. n. 40.* adeò ut nec specialis inquisitio desuper fieri queat. *Dn. Mev. consil. 30. n. 82.* imò etiam per testes fisci. *Cravet. consil. 35. n. 1.* non tamen requiruntur conteſtes, sed sufficiunt singulares, quia metus clam solet inferri, igitur requiritur levior probatio *cap. super eo. 3. X. de test. cogend. Alex. vol. 3. cons. 48. & vol. 5. consil. 156.* dummodò sint concordes in qualitate minarũ, licet discordes in loco & tempore *Idem num. 41. & 42.* quod tamen quoad locum & tempus rectè improbant *Matth. Steph. ad Const. Crimi. art. 32. & Manz. ibid. n. 4.* qui licet de confessionibus *cit. loc.* loqvantur, tamen idem in probationibus per testes verum quoque esse exi-

ſtimo. Unius tamen teſtimonium in minis ad inquirendum ſufficit. *Farinac. d. l. num. 43.* maximè ſi minas exequi conſuevit *Damhoud. pr. Crimin. cap. 10. n. ult.* ſi autem eſt integer, omni exceptione major & ex viſu deponens aliamq; ſufficientem ſcientiæ cauſam reddit, non ſolum indicium ad capiendum vel inquirendum, ſed & ad torturam facit, uti per *L. ſi quis 3. C. ad L. Jul. Majeſt. & ibi gloſſ. Dd. & Salyc. in L. fin. C. de quæſt.* concludit *Dambaud. d. l. n. 15.* non tamen ad condemnandum (ne quidem in criminibus occultis & difficilis probationis *Hypp. de Marſil. in repet. rubr. C. de probat. n. 236. & ſeqq.*) nam in criminalibus, quia de ſalute hominis re pretioſiſſima & inæſtimabili agitur, non autem de Tritico, vino vel oleo legato, nec de glande legenda, ideò probationes luce meridianâ clariores requiruntur. *L. ult. C. de probat. L. qui ſententiam 16. C. de pœn.* teſtes autem debent eſſe idonei, claſſici & omni exceptione majores, qui nullâ penitus exceptione ſubmoveri poſſunt. *L. optimam. 14. in fin. C. de contrab. & committ. ſtipulat. Farinac. qv. 37. n. 29.* ſed in probandis minis vaſalli erga Dominum, vel quacunque alia felonia 2. teſtes non ſufficiunt, ſed 5. requiruntur. *2. Feud. 57.* quod eſt ſpeciale & exceptio à regula, aliàs enim duo ſufficiunt communiter, quod etiam in Feudis obſervatur, uti patet *ex 2. Feud. 58. cap. quod autem.* Specialis verò ratio hæc eſt, quia cauſa eſt ardua & magni momenti, ita etiam 5. teſtes requiruntur ad probationem ſolutionis debiti in ſcriptis contracti *L. teſtium. 18. C. de teſtib. Bitſch. in Comment. jur. feud. ad d. tit. 2. Feud. 58.* Qui autem minatus eſt teſtibus, ne dicant veritatem, totam cauſam perdere debet, quia præſumitur fovere injuſtitiam *Angel. in L. ſatis aperte 2. C. ad L. Cornel. de falſ. Bald. in L. ſub prætextu 19. C. de tranſact.* neque requiruntur minæ, quæ poſſunt in virum conſtantem cadere, ſicuti

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0106
DFG

uti in metu ut annullet contractum, sed sufficiunt minæ quales quales, uti volunt *Hippol. de Marsil. in repetit. rubr. C. de probat. n. 189. & seqq.*

§. 5. Sed de Testium effatis, si discrepent, quid tenendum sit, ut inquiramus, præsupponimus, quod testes sint vel affirmantes vel negantes, si utrique concurrunt, ut aliqui negent, aliqui affirment, dispiciendum, quorum elogiis magis standum sit? & prævalent affirmantes negantibus, quapropter Dd. illam constituere regulam: quod magis sit credendum duobus testibus de metu & violentia deponentibus, quàm mille negantibus, videlicet spontaneam & liberam voluntatem attestantibus, quia illi de eo, quod viderunt & in sensum corporeum cadit, loqvuntur; hi verò de occulta animi intentione, & de iis, quæ in conscientia & animo existunt, & soli Deo cognita sunt, quo fit, ut duorum testimonium hoc casu plurium præferendum sit. *Brunman. d. l. n. 6. Mascard. de probat. concl. 1056. n. 1. Gail. 2. obs. 93. n. 14. & 15.* quod non solùm in duobus testibus affirmantibus, sed etiam unico procedere debet, teste *Mascard. d. l. n. 5.* ubi prædictam regulam ampliat, præprimis si cum eo unico alii testes de auditu concurrant. *Idem. n. 7.* Sed minas & metum in genere probare non sufficit, sed illius species & qualitates etiam probandæ, nec sufficit probare metum sibi illatum, nisi etiam probetur, quod utilitas & commodum ad inferentem metum provenerint. *vid. Idem concl. 1054. n. 12. & 13.* Limitantur autem supra dicta (de duobus affirmant: & mille negantibus) in Criminalibus, in quibus tam negantibus quàm affirmantibus creditur, quando de innocentia rei agitur. *Hippol. de Marsil. in singular. 541. Roland. à Valle cons. 93. lib. 4. n. 9. Augustin. Barbos. in Loc. commun. voc. Testis. axiom. 2. ubi 3. addit limitat.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0107
DFG

§. 6. Pari modo quoque probantur minæ (3) ex adversarii terriculamentis, quæ sufficienter erunt probatæ, si demonstrari poterit, adversarium districto gladio te occurrisse, quoties enim martialibus armis seu gladiis evaginatis aut similibus instrumentis (uti non solùm scuta & gladii sunt, sed etiam fustes & lapides, quæ omnia armorum appellatione intelliguntur. *§. 6. in fin. Instit. de interdict. L. 41. ff. de V. O. L. 9. ff. ad L. Jul. de vi publ. L. 3. §. 2. ff. de vi & vi armat.*) cominus invaditur, satis probari poterit, se ingentem pasum esse terrore mobillius minas & invasionem *Damhaud. pr. Crim. c. 76. n. 5. & 6.*

§. 7. Quartus modus probandi minas est (4) juramentum, quod ultimum est finiendæ litis & rei controversæ remedium, cum obtestatione divina facta, quod aliàs vocatur Litis decisorium, & hoc pars parti defert, vel extra judicium, quod voluntarium, vel in judicio, quod judiciale dicitur & referri potest. *vid. Struv. Syntagm. Jur. Civil. exercitat. 17. th. 28.* ubi ex luculentissimis & plurimis hoc probavit legibus. Jus Canonicum quoque hunc modum admittit *per cap. Statutum 11. §. cum verò ejusdem 2. de Rescriptis in 6to.* id tamen singulare esse in illo casu placuit *post Decium & Boerium Mascardo vol. 2. concl. 1055. n. 8.* Jus verò Statutarium Lubecense expressis verbis hoc confirmat *lib. 4. tit. 16. art. 3.* his verbis: *Vir propositum attestaturus, nempe aliqvem comminatum, id factum qvod subsecutum est, sive Senator sit sive alius qvispiam corporali juramento scientiam suam asserito, idq; eidem neqvaqvam remittitor.* Ex quo *art.* observandum, juramentum quoad minarum probationem nemini remitti debere, cum tamen alias remissum in omni jure pro præstito habetur, per ea quæ habet *Dn. Mev. ad d. art. n. 1.* cum quo conveniunt, quæ habet *Rosbach. Proc. civ. tit. 57. de juramento testium.* scil. in civilibus quidem remitti

posse,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0108
DFG

posse, non autem in criminalibus, vel aliis arduis causis, ubi de præjudicio publico agitur nec à parte nec à Judice *Dn. Mev. d. l. n. 2.* nec hîc personis in officio etiam Senatorio h. e. summo constitutis, fides habetur vigore juramenti officii initio præstiti, sed speciali juramento veritatem asserere obstringuntur *Dn. Mev. d. l. n. 3.*

§. 8. Ex quibus videndum, quod metus non præsumatur, ideoq; qui eum allegat probare debeat *L. fin. in pr. ibiq; Bart. ff. quod met. caus. L. 2. C. eod. Mascard. vol. 1. concl. 78. num. 13.* aliàs contra juris regulas præsumeretur delictum in eo, qui dicitur metum intulisse *Petr. Surd. cons. 513. n. 9.* quia metum inferre est quid facti, facta autem non præsumuntur *L. in Bello 12. §. factæ 2. ff. de captiv. & postlim. revers.* & omnis delicti præsumptio est evitanda *L. merito 51. ff. pro socio. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 161. & Brunman. ad d. L. 51. n. 2.* & non sufficit metum in genere probare, sed in specie contractus, de quo agitur, uti dicunt *Bald. & alij in L. interpositas 13. C. de transact.* Et hæc quoque in minis obtinent, nam minæ inducunt justum metum *Bart. ad L. metum 9. C. de his quæ vi met.* Verùm, cum metus clam inferri soleat, idcirco in probationibus inspicitur verisimilitudo *L. fin. pr. ff. quod met. caus. L. cum de ætate 13. ff. de probat. L. ob carmen 21. §. 3. ff. de Testib.* hinc etiam difficilis probationis dicitur, uti censuit *Paris. vol. 2. cons. 53. n. 61. & cons. 60. n. 21.* cujus sententiam probavit *Menoch. de A. I. Q. cas. 116. n. 17.* & ob id metum conjecturis ac indiciis posse probari docent *Menoch. cons. 1. n. 273. & Mascard. concl. 1055. n. 3.* quæ tamen debent esse propinqua & immediata, non autem extrinseca *Alciat. cons. 97. n. 34.* ubi dicit: quod nec metus, nec dolus, nec mala fides præsumatur, nisi quatenus ex perspicuis conjecturis appareat, cum metus dicatur quasi mentem tenens, idcirco fit difficilis probatio &

propterea confugiendum ad conjecturas & indicia, uti latè disserit *Boer. decis. 100.* in delictis autem occultis & quæ sunt difficilis probationis conjecturata probatio pro plena habetur *Carpz. pr. Crim. quæst. 108. n. 33. & seqq. & qv. 148. n. 49.* At quæ & quales ejusmodi conjecturæ & indicia esse debeant, plerique Judicis arbitrio relinqvunt *Menoch. de A. I. 2. cas. 136. n. 2. Mascard. d. l. n. 10. & 11.* ex quibus autem conjecturis & indiciis Judex arbitrari possit doctè & fusè explicat *Mascard. concl. 1054. per tot.* Sic præsumuntur & colliguntur minæ ex subsecuto læsionis effectu *Pruckman. vol. 2. cons. 1. n. 550. ad 554. inclusivè;* & ita non est necessum probare minantem exequi solitum, (1) ubi de importunitate ejus constat, quæ vicem sustinet coactionis *Cravett. p. 3. cons. 461. n. 22.* (2) Si minans sit Officialis publicus & potentior potestatem exequendi habens, à quo facilè terreri potest. *Idem n. 23.* (3) Si tale facinus imputetur, quod capitalem pœnam inferat & accusatio minetur *Idem num. 25.* uti Susunnæ fiebat *vid. Histor. Susann. v. 41.* sed cum par pari referendum, omnibus modis reus intendere debet, contrariis & quidem fortioribus & prægnantioribus præsumptionibus actoris propositum infringere; cùm hæ præsumptiones admittant præsumptionem in contrarium, sed longè evidentissimam *Brunman. ad L. ult. ff. qvod met. caus. n. 1. & seqq.* præsertim verò si poterit, innocentiam probare debet, cui magna vis & in jure favor *Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 48. n. 1. & seqq.* ubiid exemplis demonstrat & comprobat; adeò ut etiam testibus domesticis & sangvine junctis innocentia probari possit *Idem d. l. n. 7. & Mascard. concl. 904. per tot.* imò præsumptionibus & conjecturis *Boer. in qvæst. 161. n. 1. & 2. Alciat. in respons. 453. n. 5.* ubi dixerunt: Delicti præsumptiones & conjecturas dilui & confutari posse contrariis cō-

jectu-

jecturis & præsumptionibus; cui accedit *Cravett. cons. 151. n. 18. & consil. 275. n. 13. Menoch. d. l. num. 8. & 9.* præsumptio enim una tollit alteram, quemadmodum probatio aliam probationem *per L. Divus 7. ff. de in int. restit. Zang. c. 2. n. 229. add. hic diligenter Carpz. loc. mox cit. n. 61. & seqq.* ubi statuit, quod Judex habito quasi æquilibrio judicare debeat: major enim & fortior præsumptio tollit minorem, imò præsumptio non delicti excludit præsumptionem delicti. *vid. post Mascard. Menoch. & Carpz. pr. Crim. qv. 123. n. 69. Dn. Matth. Steph. ad d. art. 28. Ordin. Crimin. & Manz. ad d. art. n. 2. & 5.* nam in dubio semper in mitiorem partem præsumitur. *Carpzov. d. l. in fin.* & proniora semper sunt jura ad absolvendum quàm condemnandum *cap. ex literis 3. X. de probat.* ibi: *cum promptiora sint jura. L. Arrianus 47. de O. & A. cap. 2. X. de R. J. L. 168. eod. Carpz. pr. Crim. qv. 59. n. 37.* cùm satius sit impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. *L. absentem 5. pr. ff. de pœn.* & absurdum esset ex præsumptionibus aliquem condemnare, quæ regula tamen cum grano salis accipienda, secundum *Carpzov. qvæst. 106. num. 51. & seqq.*

§. 9. Videndum etiam est paucis, quibus modis minæ imputatæ purgari, exculpari & elidi possint. Si factæ excusantur, quod jure factę vel non seriò prolatę, ut passim supra declaravimus, sin a. planè effusæ non sint, eliduntur vel juramento purgatorio, si enim deficientibus probationibus sufficientibus contra aliquem militant præsumptiones & indicia verisimilia ad eruendam veritatem plerumque ad hoc recurritur. *Carpz. pr. Crim. qv. 116. n. 58. & seq.* quo tunc conscientiam suam reus purgare tenetur, ne impunis abire videatur. *c. consuluisti. qv. 4. cap. ex tuarum 8. & cap. ult. X. de purg. Canonic.* & in omnibus causis tam civilibus quàm criminalibus, feudalibus & matrimonia-

monialibus locum habet. *Berlich. part. 1. concl. 52. num. 10. & seqq.* Ut autem huic juramento locus sit, requiritur, (1) ut diffamationes, præsumptiones, indicia & conjecturæ verisimiles (quæ tamen semiplenam probationem non attingunt) præcedant & contra eum militent, aliàs potius absolvendus, quàm juramento onerandus. *Berlich. part. 1. concl. 52. n. 10. & seqq. & Carpz. d. l. n. 62.* (2) Ut reus pro sua defensione nullas habeat præsumptiones & probationes contrarias. *Berlich. d. l. n. 6.* nec solus Judex hoc ex officio defert. *Idem num. 7.* sed etiam pars parti deferre potest, secundum *Dn. Mev. ad art. 1. lib. 5. tit. 8. n. 2.* eoq; præstito reus definitivè absolvitur, contrariis probationib⁹ haud obstantibus, nisi nova superveniat probatio. *Dn. Mev. lib. 2. tit. 3. art. 3. n. 53. & seq. & lib. 5. tit. 8. art. 1. n. 10.* quod in foro Saxonico etiam obtinet, teste *Carpz. d. l. n. 64. & seqq.* sin verò reus recusat, pro suspecto habetur. *Dn. Mev. d. l. n. 55.* imò pro confesso habetur ut in aliis juramentis. *L. 2. §. & actor. C. de jurejurand. propter calumniam dand. Berlich. part. 1. concl. 37. n. 39. Mynsi. cent. 3. obs. 52.* quod tamen in levioribus, pro quibus carceris aut relegationis pœna imponitur, tantùm procedit, secundum *Carpz. d. l. n. 81.* in gravioribus verò licet ad condemnationem non sit sufficiens, præbet tamen ad torturam indicium *Idem d. l.* & licet de Jure civili ad hoc se offerens suspectus habeatur. *arg. L. 3. ff. de jurejur.* de Jure Lub. tamen ad id quivis se offerre potest, ut ex quamplurimis artt: probavit *Dn. Mev. lib. 5. tit. 8. art. 1. n. 3. & 4.*

§. 10. Vel porrò eliduntur minæ per constantem in tortura negationem, purgata enim tunc censentur criminis indicia, quibus reus gravatus, ideò absolvi ac carcere dimitti debet, *L. ult. ibi: servo quæstio habetur pro absoluto. ff. de calumniat.* cui communis Dd. accedit opinio relata à

Carpz.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0112
DFG

Carpz. pr. Crim. qv. 125. n. 3. & quamvis quidam Dd. à *Carpzov. d. l. n. 4. & 5* relati, velint reum hunc tantùm ab observatione judicii absolvendum esse, non verò totaliter ac definitivè, tamen illorum opiniones fusè refutat *n. 6. & seqq.* ac tandem *n. 10.* concludit definitivè, reum esse absolvendum per *L. ult. ff. de calumniat.* ubi dicitur, reum habitâ quæstione esse absolvendum, verbum autem absolvere definitivam desiderat sententiam secundum *L. 3. C. de sentent. & interloc. omn. judic.* & ita omnia judicia sunt absolutoria. *§. ult. Instit. de perpet. & tempor. act.* & tortura est probationis instar, in quem locum est surrogata. *arg. art. 69. Ordin. Crimin. verb:* die peinliche Frage soll nach Gelegenheit des Argwohns / der Person / viel / offt oder wenig / ꝛc. nach Ermäßigung eines verständigen Richters fürgenommen werden / quod & luculentissimis verbis indicat *L. 26. ff. de qvæst.* quam regulam tamen ita explicat *Dn. Matth. Steph. ad d. artic. 58. num. 5.* si nova indicia supervenerint, aliàs torturam repetere nullo modo licere; cum qua interpretatione convenit *Farinac. in pr. Crimin. qv. 38. num. 72. & seqq.* sed illa indicia debent esse urgentia, indubitata, gravissima, evidentia & manifesta. *Jul. Clar. §. fin. qv. 64. num. 46. Manz. ad d. art. 58. n. 62. & seqq.* Sin autem aliter judicant Judices, de Syndicatu tenentur. *Angel. Aretin. in tract. Malefic. verb: Fama publica. n. 65. vers. tertiò qværo. Zanger de qvæst. & tortur. cap. 5. n. 13.*

§. 11. Denique fertur sententia in reum vel condemnatoria vel absolutoria. *L. 1. ff. de re judic.* & ea facit jus inter partes. *L. ingenuum. 25. ff. de stat. homin. cap. 13. & 19. X. de re judic. Rosbach. Proc. civil. tit. 71. n. 26.* nisi intra fatalia impugnetur, antequam transeat in rem judicatam; multi autem dantur casus, in quibus sententia nunquam transit in rem judicatam, quorum principaliores sunt 34.

quos longo ordine recenſet *Marant. in ſpecul. aur. rubr. & demum* ſertur ſententia. *à n. 130. ad fin. conſer tot. tit. C. quæ ſana. provoc. non eſt neceſſ. ibiq; Brunman.* Libello autem debet eſſe conformis, neque aliud quàm quod petitum continere. *L. ut fundus. 18. ff. commun. dividund. L. in fundo. 38. ff. de rei vindicat.* imò Judex ſatius dicitur, qui in alio condemnat, quàm quod fuit petitum. *L. fin. C. de fideicom. miſſ. libertat.* quod tamen fallit in cauſis criminalibus, ubi ſententia conformis libello non eſſe ſolet. *Carpz. pr. crim. qv. 106. num. 17. & ſeqq.* ubi rationes differentiæ addit; in criminalibus enim petitione ſ. libelli concluſione haud opus eſt, ſed ibi pœnam juris diſpoſitioni & arbitrio Judicis committere neceſſe eſt; quod *artic. 89. Conſtit. Carol.* conveniens eſt, ſed vulgaris tamen & generalis ſolet addi clauſula: *Quare peto reum puniri juxta formam juris & ſtatutorum, vel: ſuper qvibus omnibus & ſingulis peto mihi jus & juſtitiam adminiſtrari,* quæ clauſulæ in criminalibus tantum præſtant, quantum petitio actoris in civilibus; *Manz. ad d. art. 89. n. 15. & 16.* Sed cum in criminalibus, ubi homini pœna dictanda magnâ accuratione, doctrinâ atque dexteritate opus ſit, uti ſcribit *Brunman. in Proc. inqviſit. cap. 9. n. 5.* ideò Carolus V. *art. ult. Conſt. Crim.* ſeverè Judicibus injunxit, ut Peritiores conſulant & ad Facultatem aliquam Juridicam acta transmittant, quod etiam ſtrictè exequi neceſſe habent. quamvis enim certa in jure pœna quibusdam delictis ſit conſtituta, tamen exceptiones, qualitates & circumſtantiæ ſunt infinitæ, quas omnes regula comprehendere impoſſibile eſt. *Brunman. d. l.* Et ſecundum LL. pronunciatur ſententia, quando ex Prudentum conſilio judicatur. *L. Leges 3. C. de LL, arg. L. fin. §. mixtæ 26. ff. de munerib. & honorib.* Sed regulariter Judex rationes ſententiæ inſerere haud tenetur, ſive ſit definitiva ſive interlocutoria exceptis cauſis appellationis, inepti libelli, expenſarum & ſimilium per *Rosbach. proc. civil. tit. 71. n. 21.* poſſe tamen Judicem rationem decidendi inſerere experientia qvotidiana docet, quod & ſuâ authoritate comprobat *Carpz. in Proceß. tit. 16. art. 1. num. 74. & ſeq. & part. 1. deciſ. 85.* attamen ſententiæ ferendæ Referentes ſecundum Ordinat. noviſs. Dicaſterii ad id ſunt obſtricti. *part. 2. tit. 30. §. 1. ibi:* mit außführlichen Rechts Gründen ꝛc. Idem quoque expreſſis verbis indicat *Ordinat. Summ. Trib. Wiſmar. part. 2. tit. 38. §. 14. ibi:* ſolches ex actis & jure mit *rationibus decidendi* beträfftiget ꝛc. Et hoc non ſolùm in civilibus, ſed etiam præprimis in criminalibus obſervari debet, plerumque

rumque enim, quando Acta ad Facultatem Juridicam mittuntur, à Judice, à quo petitur, ut sententia cum dubitandi & decidendi rationibus remittatur.

§. 12. Finem autem Processui facit executio, quæ est rei judicatæ persecutio. *L. ult. & pen. C. de execut. rei judic.* & eluderentur judicia, frustraq; sententia proferreretur, si non executioni mandaretur, similisq; esset campanæ sine pistillo multumq; auctoritatis Magistratui per id detraheretur secundum *Carpz. Jurisp. For. part. 1. const. 32. def. 1. n. 1. & 2.* & Judex eam victrici parti denegans, vel in aliud tempus differens & prorogans ei ad interesse tenetur. *Carpz. d. l. def. 2.* in actionibus autem realibus, si executionem quis effugere velit, de Jure Civili statim & in continenti rem petitam restituere tenetur. §. *etsi in rem. 2. Inst. de offic. Judic.* in personalibus quadrimestre spatium creditoribus indultum. *L. intra dies. 7. ff. de re jud. L. eos qui condemnati 2. C. de usur. rei judic.* quod commiserationis gratia ipsis indultum. *Bruum. ad d. L. 7.* secundum novissimam *Dic. Ord.* in realibus intra 14. dies executio fieri debet. *part. 3. tit. 1. §. 7.* in personalibus verò intra 3. septimanas condemnatus solvere tenetur. *d. Ord. §. 8.* conf. Ord. Tribun. Wismar. *part. 3. tit. 1. §. 11. & 12.* ubi certum tempus non exprimitur; in Tit. verò seq. *2. §. 4.* certo respectu 6. septimanæ vel 3. menses conceduntur; ultra id tempus verò non differenda. Executioni verò paratæ opponi possunt, exceptio solutionis, usurariæ pravitatis contra instrumentum liquidum & confessatum, item exceptio simulationis, quâ docetur aliud actum, aliud scriptum fuisse, exceptio non numeratæ pecuniæ, SCti Macedoniani, erroris calculi exceptio, nisi his à reo fuerit renunciatũ, quas omnes suo ordine cum aliis tractat *Carpz. Jur. For. part. 1. const. 8. def. 16. & multis seqq.* In criminalibus verò regulariter pœna ultimi supplicii differenda non est. nam Magistratus & Judices executionem sæpius differentes miseros reos ad mortis supplicium jam condemnatos, carcere longiori macerant atque excruciant, qui scire deberent, majorem esse pœnam stare in vinculis, quàm laborare in agro aut opere publico, licet quis aureis compedibus adstrictus esset. *Carpz. pr. Crim. qv. 137. n. 2. & seqq.* ubi plures insignes accumulavit rationes. Ob speciales verò & prægnantes rationes sæpius differtur, quas longo ordine doctè recensuit *Idem d. l. n. 11. & seqq.* In muliere verò prægnante non solùm ultimum supplicium, sed etiam omnis pœna corporis afflictiva, veluti abscissio digitorum, aut manus ampu-

amputatio, differenda, usque dum Rea prægnans pepererit, ne scil. ex terrore & cruciatibus abortus oriatur. *Idem d. l. n. 27.* Plura de executione pœnarum ejusq; forma & processu Criminali hic inferere nec materiæ, nec temporis, nec instituti ratio permittit, desideranti autem satisfaciet *Carpz. d. qv. 137. per tot.* ubi etiam benevolus Lector notatu digna de Carnificibus reperiet. In civilibus ab executione non appellatur, nisi executor sententiæ modum excedat. *text. in L. ab executione 5. C. qvorum appellat. non recip. Dn. Mev. part. 4. dec. 207. n. 1.* Excessus autem fit, quando ultra tenorem sententiæ progreditur. *L. 1. C. de execut. rei judic. Dn. Mev. d. l. n. 2.* ubi ita judicatum refert. Similiter nec supplicatio eam impedit, post alios *Rosbach. Proc. Civ. tit. ult. de execut. num. 17.*

§. 13. Ex hac minarum Synoptica consideratione satis luculenter apparet, non minaces, sed mites nos esse oportere, ut ipse Salvator *Matth. 5. v. 5.* cum promissione duraturæ possessionis inculcavit, in hunc quoque finem ut minacem Petrum ad mitiorem mentem reduceret, ipsum *lavavit*, ut Passionis historia edocuit, imò & nos quoque ad *hoc uno regenerationis lavacro loti*, ut fraternæ charitatis monumentum, non autem irati animi documentum exhibeamus. *Can. ad mensam 21. qv. 3. caus. 11.* quod & Florentinus JCtus suo tempore licet paulò aliter explicuit; primo Institutionum libro scribens: Et cum inter nos cognationem quandam natura constituit, consequens est, hominem homini insidiari nefas esse, uti relatum in *L. ut vim 3. ff de Just. & jur.* Haud tamen abominamur ad correctionem & meliorem frugem interpositas minas, sed eas ceu Pharmaca collaudamus, & summè necessarias ducimus, tollatur abusus & retineatur usus. Et ita ad finem perducto hoc themate DEO O. M. pro singulari gratia licet debiles tamen debitas offero gratias, & ut studiis meis porrò adsit, & ea benignissimè promoveat, supplex oro; Sitq; interea Ei Laus, honor & gloria in sempiterna secula.

FINIS.

ERrata Typographica principaliora. Cap. I. §. 1. lin. 16. pro fol. 36. *lege* 63. §. 5. lin. 17. nudas. lin. 30. pro varium lege vanum. lin. 33. pro probatæ, prolatæ. Cap. II. §. 3. lin. 17. post &c. inserantur verba: seriò præcepit. lin. 14. pro quod, quam. lin. 98. post verb: debeant, inseratur, aliàs. Cap. III. § 5. lin. 1. post verb: plerumq; inseratur voc: non. Cap. IV. §. 1. lin. 13. pro cœtu, cœtui. §. 9. lin. 17. pro vibratur ut, *lege* vibraturus. §. 11. lin. antep. pro Loys, Aloys. §. 14. lin. 29. post verb: genere, inserantur: quandoq; pro specie. lin. 84. pro idem, ideò. Cap. V. §. 1. lin. 13. pro CAP. III. lege CAP. II. lin. 16. post verb: sacerdotum, inserantur: lugubri exitu constat. Cap. VI. §. 4. lin. pen. pro volunt, voluit. Cætera Benev. Lector, ut corrigere velit, peto.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0116
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0117
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0118
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0119
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0120
DFG

runt, quæ est communis Dd. s… ex aliis refert
Carpz. part. 4. const. 15. def. 5. & pr… 7. n. 79. quæ in
jure naturali, gentium & civili… e alter ab alte-
ro vi opprimatur aut offendat… d Jus Lub. lib. 4.
tit. 16. art. 4. n. 11. ideoq; specia… à Carolo V. &
Imperii Statibus in Const. Cri… ata, *Dn. Matth.*
Steph. ad d. artic. Debet auten… non offenden-
do necessariò præstari vel pe… el per fidejus-
sores *L. hæc autem satisdatio 4.* … *vam per L. Fal-*
cid. L. illicitas 6. §. ne potentiores 2. … *sid. ibiq; Dd. &*
Carpzov. Jur. For. d. l. def. 6. Jure… jusoria cautio
præfertur *d. art. 4.* sed tamen … addit, si fide-
jusores haberi non possunt, pi… iunt, quę idem
præstant, imò tutiora viden… lem præstare…
nemo recusare debet, etiamsi … multa bona…
possideat, quod ita semper se… *Hering. de fide-*
jussor. c. 6. n. 245. imò non inep… ue à muliere…
petitur, uti demonstrat *Carpz.* … *quod & supra*…
dictum. Sin verò minitator ne… sores neque…
pignora invenire poterit, non… m cautionem,
multò minus nudam promissio… endus, nemo
enim cogitur vitæ bonorumq; … icula alterius
juramento committere, præser… it existimatio-
nis: experientia enim testis est… ta scandala &
turbæ motæ sint ab iis, qui sub… carceribus re-
laxati juratoriam cautionem n… nt. Et tantò
minus illis erit fidendum, quia r… s habent, quo
facit etiam, quod olim non m… lie reservatio-
nes mentales in juramentis lic… i persuadeant
contra dogma: quod ex mente… non delati ju-
ramentum interpretetur. *Dn. S…* *r. Civ. exerc. 17.*
th. 17. ibiq; alleg. Dd. quare melius… nitatores esse
rele-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747428964/phys_0121
DFG